

Qk. 528, 8

B. m. II 494

II c  
146

29.

x 2255760

CHRISTO SUCCURRENTE!  
DE  
LIBRIS VETERUM

SCHEDIASMA,  
IN  
REGIA POMERANORUM  
UNIVERSITATE  
PROPONUNT PUBLICE

PRÆSES

CHRISTIANUS *Saalbach* /  
POETIC. AC ORATOR. PROFESSOR ORDIN.  
ACADEMIÆ BIBLIOTHECARIUS, FACULTATIS PHI-  
LOSOPHICÆ SENIOR, ET H. T. DECANUS,

ET

RESPONDENS

GEORGIUS *Wagencop* / STRALÆSUND.  
PHILOSOPH. ET S. THEOLOG. STUDIOsus,  
III. ID. NOVEMBR. A. E. C. MDCCX.  
H. L. Q. C.

GRYPHISWALDIÆ,  
TYPIS DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,  
REG. ACADEM. TYPOGR.





62


CHRISTIANUS SCHNEIDER  
LIBRIS VETERINARIIS

IN  
REGIA POMERANORUM

UNIVERSITATE  
MAGISTRUS

CHRISTIANUS SCHNEIDER  
ORDINIS

GEORGIUS





⦿ X 3 X ⦿  
 \*\*\*\*\*  
 : יתן ם ן

DE  
**LIBRIS VETERUM**  
**SCHEDIASMA.**

PROLOGIUM.



**D**E LIBRIS VETERUM agere confilium est, ea lege, ne Librum magnum, sed Diatribam exiguam, foras demus. Quamvis enim Silva quasi quædam sit hoc argumentum, quod nullis fere terminis circumscribi aut definiri potest: leviter tamen illud transibimus, ac tantummodo perstringemus, ne Dissertationis longitudine fastidium Benevolo Lectori pariamus. Quam ob causam in obeundo hoc labore apes imitabimur, quæ vagantur, & flores carpunt; deinde, quicquid attulerunt, disponunt, ac per favos dividunt: Sic & nos, quicquid diversa lectione quæsimus, in ordinem digeremus, ut unum fiat ex omnibus; sicut unus numerus fit ex singulis.

S. 1.

**I**ncipiemus vero *a nomine*. LIBER, das Buch / in lingua Germanica, ut quorundam fert opinio, derivatur a *Boge* / h. e. *phylra*, *scheda*, *folio papyri*, *placatura papyri*, *folio chartæ*. Vocem autem *Boge* derivant a *beugen* / *flectere*, *placare*, *sinuare arcus papyri*, per *Metaphoram*, quia *ad similitudinem arcus flectitur*; qui *arcus flexilis flecti*, curvari, coactis



coactis cornibus lentari, lunari, sinuari dicitur. Hinc dici putant eine *Archs Papyr* / ein *Boge Papyr* / vel *ab arcu*, vel a *beugen*. Vetustiore enim habent plicandi morem, quam glutinandi (A.). Aliis LIBER, das *Buch* / nomen habet ab arboribus, quas *fagos*, *Büchen* / vocamus, quia veteres, charta nondum inventa, *faginis lignis in tabellas sectis* literas insculpebant. In qua sententia stat OLAUS WORMIUS, *Medicus olim & Professor Hafniensis* (B.), quamvis haud diffiteatur, alia quoque lignorum genera huic usui fuisse adhibita. *A fago* igitur nomen *Buch* ad Libros tractum est, eo quod libri id nobis jam praestent, quod veteribus *ligna fagina*. Quamquam contrarium adstruere videatur JO. GOROPIUS BECANUS (C.), qui *Librum* non a *fago*, sed potius *fagum a libro* appellationem suam sortitam esse contendit, his verbis: *A Boek arbor illa nomen accepit, quae veterum Germanorum iudicio, aptissima visa est, ut ex ejus assulis tenuissimis codices compingerentur. Eam Graeci Oxeam (Ὠξείαν,) dixerunt, Latini fagum, quidam etiam, quod in tenuissimas laminas scinderetur, scissimam vocarunt. Cujus historia memini me alias non parva lucis, prius a seculi nostri hominibus haud vise, intulisse. Profecto nulla arbor est, quae se patiatur in tenuiores assulas findi, cujus quotidianum & ubique obvium documentum, cum alia, tum vagina gladiatorum, nobis exhibent.* Sed a scopo aberrat BECANUS, & praepostere priora a posterioribus elicit, contra manifestissimum naturae ductum. Ut enim naturalia prius extitere, quam artificialia ex iis fabricata; ita & nomina prius acceperunt. *Ferrum* prius fuit, quam *ferrea*; *Ebur* prius, quam *eburnea*; *Lignum* prius, quam *lignea*; adeo, ut haec ab illis tracta & derivata sint. Quum igitur *fagus* prius in rerum natura apud omnes gentes,



gentes, ubi crescit, extiterit, quam id, quod ex ea arte elaboratur, ut *libri* vices gerat; quin etiam nomen suum in quavis lingua prius habuerit, minus dubitandum. Sed res per se plana ulteriori non indiget examine. Quomodo vero non *fagino* solum *ligno*, sed & *ejus cortice* in scribendo usi sint veteres, infra videbimus.

(A.) Vid. RUDOLPHUS CAPELLUS *Lectio. Bibliothecariar. Synagmate* *Lib. I. 1.* (B.) *Lib. de Danica Literatura antiquissima, Cap. 1. pag. 5. seqq.* (C.) *Hieroglyphicorum Lib. II. Conf. OL. WORMIUS l. c. pag. 8.*

§. 2. *Latinis LIBER*, priori correpta, est interior arboris cortex, ut vocat SERVIUS HONORATUS in *Commentar. ad P. Virg. Maronis Eclogam X.* (D.) Est interior corticis pars, quae ligno cohaeret, unde Liber dicitur, in quo scribitur; quia ante usum charta, vel membrana, de libris arborum volumina compaginabantur; Ut idem appellat *Commentar. in Aeneid. XI.* (E.) Liber est interior tunica corticis, quae ligno cohaeret: in qua antiqui scribebant. ISIDORUS, *Hispalensis Episcopus, Origin. sive Etymologiar. Lib. VI. Cap. XIII.* (F.) Liber est corticis pars interior, dictus a liberato cortice, i. e. ablato. Est autem medium quoddam inter lignum & corticem (G.). Sic Libri voce utitur MARO, *Ecloga X.* (H.) & *Aeneid. XI. (I.) NASO Metamorphos. Lib. IX. Fab. VIII.* (K.) de Dryope in arborem conversa, L. JUNIUS MODERATUS COLUMELLA, *de Re Rustica*, (L.) & M. CATO, *de Re Rustica (M.)*, qui, *Salictum*, inquit, suo tempore cadito, glubito, arcteqve alligato. *Librum* conservato; ubi *glubere* arborem est resolvere, quod & *luere* dicitur. Unde JOSEPHO SCALIGERO (N.) dictus videtur Liber, quasi *Luber*, quia de arbore reluatur, sive resolvatur, & ut CATO loquitur, *glubatur*. Ut a *Cerno*, est *Cribrum*: a *Fasio*, *Faber*: a *Turneo*, *Tuber*: a *Cresco*, *Creber*:



a *Glubo*, *Glaber* : a *Suō*, *Suber* : Sic a *Luo* fuerit *Luber*, & postea *Liber*. Sed cum veteres, ut *Magister*, & *Amicus*, pro *Magister*, & *Amicus*, sic & *Leber* dixerint pro *Liber*, non dubitandum, quin *Liber*, sive *Leber*, dicatur quasi *Leper*, ab Æolico λέπωρ, pro λέπω, quod *Corticem*, sive *Librum*, notat. Est vero λέπω a λέπω, quod idem est, ac λεπιζω, sive ἀπολεπιζω, h. e. *decortico*, *delibro*. At *Isidorianum Libri Etymon*, quod ante adduximus, plane ineptum est. *Libero* enim est a *Liber*, non *Liber* a *Libero*. Nec pro veris Etymis, sed potius pro allusionibus haberi debent duo illa, quæ CÆLIUS CALCAGNINUS in *Apologis* adducit : *Liber*, inquit, quidam e meis optans prodire in publicum, & claustra refringere, hoc in me argumento utebatur, quod liber esset, & contra leges in ergastulo teneretur. Tum ego, non est tibi a libertate nomen, ineptissime, sed a libratiōe, quod te librari, atq; in *Critolai trutina* suspendi oporteat.

(D.) Fol. 114. (E.) Fol. 1679. (F) Col. 962. (G.) Idem, Lib. XVII. Cap. VI. Col. 1242. (H.) Vers. 67. (I.) Vers. 554. (K.) Vers. 390. (L.) Lib. V. Cap. X. (M.) Cap. XXXIII. (N.) Conjectaneis in *M. Terent. Varronem*, de *Lingua Latina*, p. 37.

§. 3. *Alio nomine Liber* vocatur *Volumen*, a *Voluendo* : quia antiqui Libros convolvebant ad cylindri similitudinem, ut hodieque faciunt Turcæ ; non vero in tabellas componebant, plicabantque, quæ apud nos consuetudo obtinet. Sic *Hebræi Volumina Legis*, *Volumina Prophetarum* dicunt. Sic C. PLINIUS SECUNDUS suos *Naturalis Historiæ Libros Volumina* appellat (O.) ; & P. OVIDIUS NASO *Metamorphosin suam ter quinque Volumina* vocat (P.). CICERO quoque *Epistolarum Volumen*, inquit (Q.) ; non quia singulæ *Epistolæ involuta* clauderentur, hæ enim plicabantur : sed quia, multæ cum essent, *librum efficerent*,



cerent, eoqve circa lignum involvebantur. Purat quidem AUSONIUS POPMA (R.), *Librum & Volumen* hoc differre, quod *Liber* significet quemcunqve Codicem, magnum, aut parvum; *Volumen* proprie fit plurium paginarum chartarumqve involutio. Sed *idem* observat (S.), hæc vocabula interdum nulla re omnino differre, & duplicem significationem habere. Nam *Librum* & certam operis partem denotare, ut *Liber primus*, *Liber secundus*: & tum *opus*, ut CICERO *Lib. XIII. ad Atticum: Dicaarchi Librum accipi*. Et *Lib. XV. Librum tibi celeriter mitam de Gloria*; cum *Dicaarchi Libros tres de Anima*, & *duos de Gloria* significaret. ULPIANUS *ad Sabinum 24. l. 52. D. de Legat. III. Si cui centum Libri sint legati, centum volumina ei dabimus, non centum, qvæ qvis ingenio suo metitus est, cui ad Libri Scripturam sufficerent; ut puta, cum haberet Homerum totum in uno volumine, non quadraginta octo libros computamus; Sed unum Homeri Volumen pro Libro accipiendum est*. Similiter, dicit AUSONIUS, *Volumen & pro integro opere accipi*, ut in proximo ULPIANI loco: & pro parte operis, ut PLINIUS singulos *Naturalis Historia Libros Volumina* appellet. Et VARRO *Lib. VI. de Lingua Latina. In illis, qui ante sunt, in primo Volumine est* (T).

(O.) *In Prefat. ad Vespasian. pag. 4.* (P.) *Tristium Lib. I. Eleg. I. vers. 117.* (Q.) *Lib. IX. Epist. X. ad Atticum.* (R.) *De differentiis verborum, Lib III. p. 276. Edition. JO. FRIDER. HECKELII, de anno 1694.* (S.) *Pag. seq.* (T.) *Conf. HERMAN- NUS CONRINGIUS de Bibliotheca Augusta Epistola ad Jo. Christian. L. B. a Boineburg, p. 54. & 59.*

§ 4. Tandem etiam *Latinis Codex* pro *Libro* dicitur, ab antiquorum more, scribentium in tabulis e caudice factis. *Codex* vero factum e *Caudex*; ut *Corus*, a *Caurus*:  
Olla,



Olla, ab *Aula*, unde *Aulularia*. **SERVIUS HONORATUS** in *ll. Georgicor. Virgilio (U.)*: *Caudicibus posuit (Virgilius) pro Codicibus*: sicut *Caullem pro Cole*, *Sauricem pro Sorice* dicimus. **L. ANNÆUS SENECA**, de *Brevitate Vita (X.)*: *Hoc quoque, quærentibus remittamus, quis Romanis primus persuasit navem conscendere. Claudius is fuit: Caudex ob hoc ipsum appellatus, quia plurimum tabularum contextus Caudex apud antiquos vocabatur: unde publica tabula Codices dicuntur: & naves nunc quoque, quæ ex antiqua consuetudine per Tiberim commeatus subvehunt, Caudicariæ vocantur. Eæ tabulæ e Codice cera inducebantur; unde in iis scribebant offe. VARRO apud Charisium, Lib. 1. Offe scribebant. Et TITINNIUS, ibidem: Velim ego offe arare campum cereum.* Postea tamen commodior visus ænei styli usus. **ISIDORUS (Y.)**: *Codex multorum librorum est: Liber unius voluminis. Et dictus Codex per translationem a corticibus arborum, seu vitium, quasi Caudex: quod in se multitudinem librorum, quasi ramorum, contineat. Quod autem Liber ponatur pro Codice scripto, & Codex pro Libro scripto: id fit per Metonymiam materiæ. Nam, ut PLINIUS (Z) ait, in palmarum foliis primo scriptitatum; deinde quarundam arborum libris. Quod & CASSIODORUS indicat, Lib. XI. Var. Epist. XXXVIII. ubi de charta agit. (U.) Vers. 30. fol. 203. (X.) Cap. XIII. (Y.) Originum Lib. VI. Cap. XLII. Col. 960. 961. (Z.) Histor. Natural. Lib. XIII. Cap. XI.*

§. 5. Porro, ut a *Liber* est *Libellus*: ita a *Codex* ὁ πρῶτος ἐπιστολῶν, dicuntur *Codicilli*. Et *Libri* quidem atque *Codices* sunt tabulæ majores; *Libelli* vero & *Codicilli* minores. A *Libello* est *Libellio*, quod in Vett. Glossis exponitur *Libarius*, Βιβλιοπώλης, Βιβλιογράφος. **NONIUS MARCELLUS**, *Peripateticus Tiburicensis (a.)* ait: *Libellionem dici, ut Tabellio: atque usum esse cum Varronem Manio: Tum ad me fuerunt, qui*



qui Libellionem esse sciebant. Hinc quoque; Libellatici in Veteri Ecclesia, qui per Libellos nomina dederant, ne sacrificare idolis cogentur: ut sacrificati, vel Thursificati, qui metu supplicii thure sacrificassent diis (b.). Codicillis veteres, etiam charta inventa, sæpe sunt usi, idque commoda causa. Nam, ut *Commentar. in Epistolas Ciceronis* monuit P. MANUTIUS, si Charta & Atramentum non adessent, ut in itinere, cœna, aut Senatu, Codicillos stylo scriptos mittebant. Hinc apud CICERONEM (c.): *Quæstivi e Balbo per Codicillos, quid esset in lege.* Et SER. SULPICIUS (d.): *Cum non longe a Piræo abessem, puer Acidni obviam mihi venit cum Codicillis.* Nonnunquam non mittebant Codicillos, sed in iis tantummodo scribebant, quod post in charta descriptum mitteretur. Hinc CICERO (e.): *Accubueram hora nona, cum ad te harum exemplum in Codicillis exaravi.* Codicilli quoque; erant quasi parva testamenta, in quibus erat supplementum atque additamentum testatoris in testamento deficientis: quæ de re plura GVILIELMUS FORNERIUS (f.).

- (a.) *Cap. II. de honestis & nove veterum dictis per litteras, pag. 559.*  
 (b.) Vid. D. CÆCILIUS CYPRIANUS, *Episcopus Carthagen.* Lib. IV. *Epist. II. ad Antonian. frat.* Oper. fol. 113. Edition. Erasmi Roterodami, de anno 1519. (c.) Lib. VI. ad *Familiar. Epist. XLIX.*  
 (d.) Lib. IV. *Epist. XII.* (e.) Lib. IX. *Epist. XXVI.* (f.) Lib. II. *Select. Cap. IX.*

§. 6. Græcis LIBER est βιβλίον, ἄ, ὄ; quo nomine olim vocabatur Arbor. quæ in Ægypto nascebatur, & aptissimum Librum, seu Corticem habebat, qui in plures Philyras, seu membranas, dividi poterat, atque ita subtilis simul & fortis erat, ut posset convolvi. Et hæc Papyrus Ægyptia in palustribus ejus regni, aut quiescentibus Nili

B

aqvis



aqvis nascatur, ubi evagatæ stagnabant. Provenisse eam quoq; in Syria, & in Euphrate circa Babylonem, C. PLINIUS SECUNDUS (g.) asserit. Scribitur etiam βιβλίον, & ἡ, quo nomine olim tam Papyrus & Juncus, fruticis genus, e quo chartæ fiebant, quam urbs Nili validissima vocata est. Inde venit τὸ βιβλίον, & papyracea charta, quæ nondum est perscripta: quæ vero scripta est, βιβλίον, & τὸ, Libellus, Volumen, &c. veteribus dicta fuit. Inde quoq; est usitata appellatio *Bibliborum*. Quamvis alterum pro altero indifferenter ponat HESYCHIUS (h.). βιβλαρίδιον valde diminutivum est; & *Librum* valde exiguum denotat. Hanc vocem ERASMUS ROTERODAMUS *Apocal. X. 2. 8. 9. 10.* affidue vertit *Libellum*. Nobis h. l. βιβλίον est *Codex*, in quo aliquid scribitur: vel ea, quæ in Codice illo describuntur. *Iisdem* Græcis *Libri* ἐπιλήμματα & ἐπιλήμματα, *Volumina*, *Involucra*, συγγράμματα, *Opuscula*, *Commentaria*, & κυλίνδροι, *Cylindri* vocantur, quia *Cylindri* formam convoluti *Libri* referebant. Complicabant enim Veteres in rotundum, quæ scribebant. In *Græcis Epigrammat. (i.) Liber* etiam ὄργανον μουσῶν, *Organon Musarum*, & πωλύισωρ, *Polybistor* dicitur.

(g.) *Natural. Histor. Lib. XIII. Cap. XI.* (h.) *In Lexico, seu Dictionario, hac voce. (i.) Lib. I. Cap. XVII. in Grammaticos, Epigr. II. p. 47. & Eod. Lib. Cap. LXVI. Epigr. I. p. 225. Editionis Comminiane, a. 1604.*

§. 7. *Hebrai LIBRUM* vocant פֶּסֶק, quod nomen derivatur a verbo פֶּסַק, numeravit, res per numeros recensuit, collegit, discrevit, mensus est; & proprie significat *Catalogum* seu *recensionem* & *enumerationem*; quod in libris res enumerentur ac recenseantur: etiam si postea accipiatur in genere pro omni *scriptione*, *brevi*, vel *longa*, pro *Epistola*, *Libro*.  
Inde



Inde quoque  $\Psi$   $\sigma$ , *Scriba, Litterator, &c.* (k.) Quod fit per *Metonymiam Adjuncti*, ad significandum Librum, in quo recensio annotatur; ac tum *Synecdochice*, ad significandum quemvis Librum. Plura *Librorum nomina*, quæ in his, & aliis lingvis habent, in præsentî non adducimus (l.).

(k.) ANDREAS RIVETUS, in *Genes. V. 1.* (l.) Conferantur *Lexicographi*.

§. 8. Quid LIBER sit, quantumque bonum, si quis scire desideret; is graphicam LUCÆ DE PENNA (m.) descriptionem legat; quam, utcumque prolixiorem, haud pigebit tamen huc transcribere; ita vero sonat. LIBER est *lumen cordis, & speculum corporis, virtutum repertorium, vitiorum confusorium, corona prudentum, diadema sapientum, honorificentia doctorum, clarificentia rectorum; comes itineris, domesticus fidelis, socius colloquentis, collega presidentis, vas plenum sapientie, via recta eloquentie, hortus plenus fructibus, prætium fluens floribus, mare sine fluctibus, principium intelligentie, fundamentum memoria, hostis oblivionis, amicus recordationis, qui vocatus properat, jussus festinat, rogatus respondet, fideliter obedit, hortus conclusus, fons signatus, puteus aqua viva, paradus, absque ruina, &c.* Sed hæc descriptio, quum sola libri laude constet, proprie huc non pertinet. Nos brevius ita describimus: LIBER est *scriptura in certa materia, certis instrumentis & modis, cognoscendi causa, & ad curandam imperitiam, memoriæque, custodiendam, scribentium cura ita lineata, ut, modo ita velint Librarii, separatim posse subsistere.* Quæ descriptio, quod solos veterum Libros spectet, nemo non intelligit, & ex iis, quæ sequuntur, liquido constabit.

(m.) In Rubric. C. de *navic. seu naucler. publ. Lib. XI. Conf. JAC. MIDDENDORPIUS de Academiis, Lib. III. p. 628.*



§. 9. LIBER est SCRIPTURA. *Scriptura vero occupatur circa Litteras, Syllabas & Dictiones. Littera, secundum PRISCIANUM, Grammaticum Casariensem (n.), est vox, quæ scribi potest individua; & κατὰ συνηκωνίαν a lineatura derivatur JULIO CÆSARI SCALIGERO (o.): sicut apud Græcos γράμματα παρὰ τὴν γραμμὴν. De Litterarum inventionibus multi multa scribunt: nos spicilegium post messem faciemus. PETRUS CRINITUS, de honesta disciplina (p.), versus hos adducit, quos se in pervetusto Codice ex Bibliotheca Septimana legisse scribit:*

MOYSES primus Hebraicas exaravit litteras.

Mente PHOENICES sagaci condiderunt Atticas.

Quas Latini scriptitamus; edidit NICOSTRATA.

ABRAHAM Syras; & IDEM reperit Chaldaicas.

ISIS arte non minore protulit Ægyptias.

GULFILA prompsit Getarum quas videmus ultimas.

Sed alii aliter sentiunt. Ipse Magnus Hipponensium Praesul, D. AURELIUS AUGUSTINUS (q.), in ea est sententia; quod ante legem datam Hebraei litteras habuerint: sed quando ceperint esse, in incerto relinquit. Addit tamen; nonnullis videri, a primis hominibus eas ceperisse, & productas esse ad Noe, atque inde ad parentes Abrabæ, & inde ad Populum Israel. Sed iterum fatetur, se ignorare, unde hoc probari possit. SVIDAS in Historicis (r.), Adamo primum, dein Setho (s.), & tandem (t.) Abrabamo, Ebraicarum litterarum inventionem adscribit. Et sane incongruum haud videtur esse, si ipsi Protoplasto hujus inventi gloria deferatur. Antiquissimus enim litterarum usus est, &, ut cum PLINIO (u.) loquamur, æternus pene. Græcos litteras suas a Cadmo Phœnice accepisse, idem PLINIUS (x.) asserit. Dissentiunt tamen multi, qui vel

Pala-



*Palamedem*, vel *Linum*, vel *Cecropem*, ab hac laude commendant. De *Latinarum* quoque *Litterarum* inventionem multi certant incerti. Alii eas *Nicostratae*, *Evandri matri*, alii *Saturno*, tribuunt. *Abrahamum Syrorum* & *Chaldaeorum litteras* invenisse, etiam legitur apud **ISIDORUM** (p.). *Aegyptias vero litteras DEUM* quendam, nomine *Theuth*, quem *Aegyptii* coluerunt, invenisse; quo tempore *Thamus* universae imperium *Aegypti* tenuit, **PLATO** in *Philebo*, (z.) & in *Phaedro* (A.) scribit. Sed de litterarum Inventoribus fatis multa. Plura de iis videantur apud **THEODORUM ZUINGERUM** (B.), **LUDOVICUM CÆLIUM RHODIGINUM** (r.), **POLYDORUM VERGILIUM**, *Urbinitatem* (Δ), **JOH. LOMEJERUM** (E.) Et conferantur ea, quæ subtiliter de iis tractat *Seculi superioris* **Varro**, **GERARDUS JO. VOSSIUS** (z.). De *litterarum potestate, numero & figura*, quemadmodum pro nationibus variant, & pro diversitate earundem varia habeant nomina, brevitatis ergo plura addere superfedemus.

- (iv.) *Lib. I. de Voce*, p. m. 2. (o.) *De Causis Lingua Latina*, *Lib. I. Cap. IV. p. 7.* (p.) *Lib. XVII. Cap. I. fol. 62. b. Editionis JODOCI BADII ASCENSII*, de anno 1508. (q.) *Quest. LXIX. super Exod. Operum Tom. IV. Part. I. p. 192. Edition. Lugdunens. de anno 1561. in 8v.* (r.) *Col. 25.* (s.) *Col. 850.* (t.) *Col. 7.* (u.) *Natural. Histor. Lib. VII. Cap. LVI.* (x.) *Loco allegato.* (y.) *Originum Lib. I. Cap. III. Col. 819.* (z.) *Operum Tom. I. p. 246.* (A.) *Tom. II. p. 482.* (B.) *Theatri Vita Humana Volum. IV. Lib. I. fol. 1090. seqq.* (Γ.) *Lectiōnum Antiquarum Lib. XXII. Cap. XV. fol. 1049.* (Δ.) *De Rerum Inventoribus Lib. I. Cap. VI. p. 27. seqq.* (E.) *De Bibliothecis, Libro Singulari, Cap. II. p. 9. seqq.* (Z.) *In Aristarcho, sive de Arte Grammatica Lib. I. Cap. IX. X. XI. p. 36. seqq.*

§. 10. In *Syllabarum* & *Dictionum* natura explicanda multi



non erimus. *Grammatistarum & Grammaticorum id munus est, qui Syllabam definiunt partem orationis sono indivisam & Dictionem vero vocem articulatam, cum aliqua significatione, ex qua instruitur oratio, & in quam resolvitur (H).* Cum quibus profus facimus, hoc uno excepto, quod non sonum & orationem, sed scriptionem Syllabarum atq; Dictionum hic spectemus.

(H.) Videantur ea, quæ GER. JO. VOSSIUS habet *Aristarchi Lib. II.* qui est de Syllabis, *Cap. I. p. 165. seqq.* & *Lib. III.* qui est de vocibus, *Cap. I. p. 370.*

S. 11. Venimus ad MODUM scribendi, qui trisariam variat. Primum pro motu locali: Deinde pro ratione instrumenti ac materia: Denique pro majori minorique notitia inter homines.

S. 12. Videamus PRIMO de diversitate ratione loci, & ejus, unde, & illius, quo progredimur. Modus hic est quadruplex. Primus fit a dextra in sinistram, quo usi sunt Hebræi, Chaldæi, Syri, Arabes, multæque aliæ Orientis gentes: etiam Ægyptii, ut testis est HERODOTUS (6). Quem morem eos accepisse ab Hebræis, verisimile est. Est vero hic modus, ut ceteris antiquior, ita rudior atque imperfectior. Secundus, cum primo a dextra sinistrorum scribitur, & ubi ad sinistram pagine partem deventum, inde, quia is se locus primo offert, dextrorsum in scribendo recurritur. Qui mos antiquissimis Græcis placuit, eumq;  $\beta\alpha\sigma\iota\lambda\epsilon\upsilon\sigma\alpha\gamma\gamma\alpha\phi\epsilon\upsilon\sigma$ , per versus a sinistra ad dexteram, & vice versa, arantium boum instar se vertendo & flectendo, vel instar versuræ boum scribere, vocarunt. Videatur HESYCHIUS in *Lexico (I)*. Ex Latinis hunc modum refert ISIDORUS (K): Versus, inquit, vulgo vocati: quia sic scribebant antiqui, sicut aratur terra. A sinistra enim ad dexteram primum deducebant stylum: deinde



deinde convertebantur ab inferiore, & rursus ad dexteram versus: quos & hodie rustici Versus vocant. Tertius vulgatus est, a sinistra dextrorsum; qui Græcis, Latinis, Germanis, Illyribus, & plerisque Europæis, familiaris est. Quartus, a summo ad imum; quomodo incolæ Insulæ Taprobanae, quæ in Australi est Oceano, jam olim scripsere; & etiamnum scribunt Indi & Sinenses (A.). Hoc scribendi genus Tapocon Græcis dicitur. PAULUS (M): Tapocon appellaverunt Græci genus scribendi deorsum versus, ut nunc dextrorsum scribimus (N.). Æthiopicus hunc modum familiarem fuisse, docet ALEXANDER AB ALEXANDRO (Z.). Nec tamen eum plane ignorarunt Græci.

(O.) In Euterpe, p. m. 102. (I.) Col. 151. in voce  $\beta\gamma\epsilon\pi\omega\phi\eta\delta\delta\upsilon$ . (K.) Originum Lib. VI. Cap. XIV. Col. 961. (A.) Videatur MARCUS HENNINGUS in nova & succincta, vera tamen Historia, de Regno China, Lib. III. Cap. XIII. pag. 201. & conferatur NICOLAUS TRIGAUTIUS de Regno China, Cap. V. pag. 63. (M.) Apud SEX. POMPEJUM FESTUM, de Verborum Significatione p. 471. Edit. Veneta a. 1560. in 8v. In quam vocem videndæ sunt Annotationes tam Marginales, quam in sine adjecta, ANTONII AUGUSTINI (N.). Conf. GER. JO. VOSSIUM, Aristarchi Lib. I. Cap. XXXIV. pag. 128. 129. (Z.) Genialium dierum Lib. II. Cap. XXX. fol. 105. Legatur etiam Theatrum Humane Vitæ THEODORI ZUINGERI, Volum. IV. Lib. I. de Grammatica, fol. 109.

§. 13. Quintum modum, quo non modo deorsum, sed & redeundo mox sursum,  $\beta\gamma\epsilon\pi\omega\phi\eta\delta\delta\upsilon$ , scribitur, nullam gentem usurpasse, arbitratur VOSSIUS (O): Quamvis ZUINGERUS (N.) scribat: secundum longitudinem a summo ad imum; & hinc rursus ascendendo & descendendo, veluti per spiras, quales Sol annuo motu per Zodiacum facere dicitur, scripsisse Gothos veteres in saxis vetustissimis, quæ etiamnum extant. Cujus rei aucto-



auctorem laudat **OLAUM MAGNUM**, *Archi-Episcopum Upsaliensem*, qui hac de re agit in *Gentium Septentrionalium Historia* (P.). Sed is quidem dicit, *Gotbos Saxis solere inscribere res gestas*: at illud, *alternis versibus nunc descendendo, nunc ascendendo*, fecisse, non dicit; uti nec **JOANNES MAGNUS**: cujus fratris sui, & in Archiepiscopatu Antecessoris, sententiam **OLAUS** adducit (Σ).

(O.) *Loc. alleg. p. 129.* (Π.) *Loc. lit. Z. citato.* (P.) *Lib. I. Cap. XX. p. 35.* (Σ.) *In Gotborum Sveonumque Historia Lib. I. Cap. VII. pag. 31. seq.*

§. 14. Hæc de primo scribendi modo, qui motum localem spectat. Plures quidem **OL. WORMIUS** (Τ.) adducit: sed quia illos non e membranis & chartis, sed saxis & cautibus Danorum promptos asserit: hoc ipso fatetur, nihil illis cum libris veterum commune esse.

(Τ.) *Lib. de Danica literatura antiquissima, Cap. XXV. p. 139. seqq.* Primus ei modus ab imo ad summum est, unico tractu. Secundus circulem ambitum absolvit. Tertius Semicirculum constituit, ab imo sinistri lateris ad imum dextri, per apicem transcurrens. Quartus fit quadrato per limbum saxi tractu. Quintus Trigoni formam exhibet. Sextus Crucis ideam, decussatim se secantibus lineis. Septimus transversim per saxi corpus, ab uno latere in aliud pergit.

§. 15. **SECUNDO** pro ratione instrumenti, quo scribebatur, ac materia, in qua scribebatur, *Scriptura olim formabatur vel incidendo, vel pingendo. Incisio requirebat instrumentum, qua litteræ incidebantur, & materiem, cui incidebantur. Naturale instrumentum manus erat, quæ vel ipsa interdum vicem styli præstabat, vel externum instrumentum dirigebat. Externum instrumentum erat stylus, qui primo ferreus fuit, ut litteræ saxis & lateribus insculpi possent. Stylum Græci γλύφιον, D. MAGNUS AUSONIUS (Τ.)*

*Calum*



*Calum* vocat. Sed & *Celtis* appellatur, a *Calo*; quod nomen legitur apud veterem *Jobi* interpretem, Cap. XIX. 23. 24. *Quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice?* (Φ.) *Ferreo* hoc stylo usi etiam, postquam non in saxo, sed ceratis tabellis, litteras exararunt. Quia de re sic *ISIDORUS* (X.): *Græci & Tusci primum ferro in ceris scripserunt; postea Romani jusserunt, ne graphium ferreum quis haberet. Graphiis enim ad vulnerandos alios abuti cœperunt: quin eo fine, ut alios vulnerarent, graphia etiam acqviiebant. Unde & apud Scribas dicebatur: Ceram ferro ne cedito. Jussi autem pro graphio ferreo uti offeo.* Unde *T. QVINCTIUS ATTA* in *Satyra*:

*Vertamus vomerem in ceram, mucroneqve aremus*

*Offeo.*

*CHARISIUS* etiam in loc. cit. ex *Varrone*: *Offe* scribebant. At postea iterum rediit usus ferrei styli. Hinc *M. VALER. MARTIALIS* (Ψ.):

*Hæc tibi erunt armata suo graphiaria ferro:*

*Si puero dones, non leve munus erit.*

Sed rediit & tum periculum. Sic *Cassii* brachium arreptum graphio *Cæsar* trajecit (Ω.). Sic apud *L. ANNÆUM SENECAM* (α.) legimus: *Erixonem equitem Romanum memoria nostra, qui filium suum flagellis occiderat, populus in foro graphiis confodit. Vix illum Augusti Cæsaris auctoritas infestis tam patrum, quam filiorum manibus eripuit.*

(T.) *Epigr. LVI.* (Φ.) Vid. *DAN. CRAMERI*, des *Hell. Jobs* bleyernes Schreibstäfflein / seu, *Concionem funebrem ad h. l. habitam* *JOACH. Rheren / Typographo Paleo-Sedinensi, d. 14. Febr. 1611.* (X.) *Origin. Lib. VI. Cap. IX. col. 959.* (Ψ.) *Lib. XIV. Epigr. XXI.* (Ω.) *C. SVETON. TRANQVILLUS, in Julio Cæsare, Cap. LXXXII.* (α.) *De Clementia Lib. I. Cap. XIV.*

G

§. 16. Matro



§. 16. *Materia, cui litteras incidebant, erant saxa, lateres, plumbum, as. De saxis & lateribus notum ex eo, quod de Setbi duabus columnis, lapidea una, altera lateritia, scribit FL. JOSEPHUS (β.): Setbus a Patre (Adamo) educatus, ubi eo atatis venit, ut jam, quod rectum est, discernere valeret, virtutis studiis se totum dedit: & cum ipse vir optimus evasisset, etiam nepotes sui similes post se reliquit. Qui quoniam erant omnes bona indole pradi, & patriam absq; seditione incolebant, in perpetua felicitate vitam exegerunt; & sideralem scientiam ac caelestium rerum cognitionem excogitaverunt. Ne autem inventa sua ex hominum notitia dilaberentur, & prius perirent, quam pernoscerentur, scientes, Adamum universalem rerum interitum praecinisse, unum incendio, diluvio alterum; excitatis duabus columnis, utriq; sua inventa inscripserunt, ut, si lateritiam diluvio deleri contingeret, lapidea superstes hominibus discendi copiam faceret, & quae inscripta continebat, spectanda exhiberet. Ajunt enim, lapideam illam ab ipsis dedicatam, quae & nostris temporibus extat in terra Syria. Paulo aliter ultima JOSEPHI verba vetus interpres, RUFINUS, vertit: Disciplinam vero caelestium rerum, & ornatum earum primitus invenerunt. Et ne dilaberentur ab hominibus, quae ab iis inventa videbantur, aut antequam ad notitiam venirent, deperirent, cum pradiisset Adam exterminationem rerum omnium, unam ignis virtute, alteram vero aquarum vi ac multitudine fore venturam; duas facientes columnas aliam quidem ex lateribus, aliam vero ex lapidibus, in ambabus, quae invenerant, inscripserunt, ut &, si constructa lateribus exterminaretur ab imbribus, lapidea permanens praberet hominibus scripta cognoscere: simul & significaret, quod lateralem aliam posuissent: quae tamen lapidea permanet haecenus in terra Syria. Quae utraq; a nobis hic allata versio ostendit: falso ANGE-LUM ROCCHAM (γ.) existimasse, alteram columnarum,*

*quas*



quas Josephus nominat, fuisse aneam; quum ejus nec Josephus meminerit, nec Interpretes. De lapideis Mosis tabulis, quibus DEUS mandata sua inscripserat, legimus in Exodo (d.). Etiam PLINIUS (ε.) refert, Babylonios DCCXXX. annorum observationes siderum coctilibus laterculis inscripsisse. Aegyptii itidem, ante papyri usum, notas suas Hieroglyphicas insculpere saxi soliti sunt: quod LUCANUS nos docet (ζ.):

201 Nondum flumineas Memphis contexere Biblos

202 Noverat: & saxi tantum, volucresque, feræque

Sculptaque servabant magicas animalia lingvas.

Græcos quoque & Romanos in saxi scripsisse, satis indicant columnæ & monumenta, quæ hodieque supersunt. Indeq; HORATIUS (η.):

- Inci(a) notis marmora publicis.

Etiam SAXO GRAMMATICUS, Sialandicus Danus (θ.), locuples testis est: Danos majorum acta patrii sermonis carminibus vulgata, lingvæ suæ litteris, saxi ac rupibus inscribenda curasse. Res quippe, quas ad posteros volebant transmissas, & aternitati consecratas, saxi & cautibus commendabant: Minoris vero momenti, quæ amicis communicabant, aut in familiari usu esse volebant, lignis, ossibus, aut cornibus mandabant (ι.). De plumbo arguit locus ante adductus e Jobi XIX. 23. 24. Etiam Hesiodi Ἐργων καὶ Ἡμερῶν in plumbeis laminis exaratorum, meminit PAUSANIAS (κ.). PLINIUS quoque (λ.) auctor est, post pugillares plumbeis voluminibus publica monumenta confici cepta. Ubi volumina improprie pro laminis plumbeis ponuntur, quæ nonvolvuntur. Magis autem proprie idem plumbeas laminas vocat (μ.). Ac similiter Hircium Cos. ad Decium Brutum, qui Mutinæ ab Antonio obsidebatur, litteras subinde misisse plumbo scriptas, quibus ad brachium religatis milites Scutellam amnem transnabant, SEX. JULIUS FRON-



TINUS (v.) scribit. *Chartam plumbeam* appellat C. SVETONIVS TRANQVILLVS (ξ.). & plumbeis chartis seu tabulis Codices olim fuisse factos constat: quales sub terra inventos in sepulcris Neapoli, & unum sibi monstrasse Virum nobilem, Hadrianum Gulielmum, totius antiquitatis investigatorem diligentem, narrat GEORGIUS FABRICIVS (o.). Pro plumbo, quod flexile, maluere postea Æs, cui leges & acta publica inciderunt: ut testis est DIONYSIVS HALICARNASSEVS (π.), C. SVETON. TRANQVILLVS (ε.), & Auctor *Historia Maccabeorum* (σ.). Moremque hunc leges incidendi æri respexit NASO, quum ait (τ.):

- - - Nec verba minantia fixo

*Ære ligabantur.*

Galli autem & argentea habuere monumenta publica; ut de iis auctor est JO. TRITHEMIUS (υ.). Præterea litteræ incidebantur tabulis ceratis. Stylus, quo in cera usi, mucronem habebat, h. e. acumen, sive cuspidem, ad litteras formandas: in summo erat planus, ad aliquid delendum; quod HORATIO est *stylum vertere*, hoc est, delere, ut corrigas. Utrumque usum scite expressit AUREL. PRUDENTIVS CLEMENS, V. C. (φ.) de *Passione Cassiani Ferocorneliensis*, quem apud Forum Syllæ scelerati discipuli graphiis suis confoderunt:

*Inde alii stimulos, & acumina ferrea vibrant,*

*Qua parte aratis cera sulcis scribitur.*

*Et qua secti apices abolerentur, & aqvoris hirti*

*Rursus nitescens invenitur area.*

*Hinc foditur CHRISTI confessor, & inde secatur,*

*Pars viscus intrat molle, pars scindit cutem.*

Denique & litteræ incidebantur pugillaribus gypso illitis; cui modo, cum hodieque notissimus sit, non est quod insistamus.

(β.) Anti-



(β.) *Antiquitatum Judaicar. Lib. I. Cap. III. p. m. 4. a.* (γ.) *In Appendice Libri, quem de Bibliotheca Vaticana Roma edidit.* (δ.) *Cap. XXIV. 12. XXXI. 13. XXXIV. 1.* (ε.) *Histor. Natural. Lib. VII. Cap. LVI* (ζ.) *Pharsalia, sive de Bello Civili Cesaris & Pompeji Lib. III. vers. 222. seqq.* (η.) *Carmen. Lib. IV. Od. IIX. vers. 13.* (θ.) *In Prefat. Histor. Danica, fol. 2.* (ι.) *Conf. OLAUS WORMIUS, Danica litteraturæ antiquissima Cap. XXVI. p. 142. seqq.* (κ.) *In Boeoticis, sive Lib. IX. fol. 771. Edmon.* JOACH. KÜHNII. (λ.) *Natural. Histor. Lib. XIII. Cap. XI. (μ.) Lib. XXXIV. Cap. XVIII.* (ν.) *Strategematicōn Lib. III. Cap. XIII. p. 257* (ξ.) *In Nerone Claudio, Cap. XX.* (ο.) *Observation. de metallicis rebus ac nominibus, quæ leguntur post GEORGII AGRICOLÆ de re metallica libros VII. p. m. 1001.* (π.) *Antiquitat. Romanar. Lib. X. Cap. LXXVI.* (ρ.) *In Julio Cesare, Cap. XLVIII.* (σ.) *Lib. I. Cap. VIII. 22.* (τ.) *Metamorphoseōn Lib. I. vers. 91. 92.* (υ.) *Lib. I. Breviar. Annal. Franc. (Φ.) Lib. Peristephanon, Hymno XII. vers. 51. seqq.*

§. 17. Hæc de litteris incis. Sequitur de pictis; ubi tria iterum sunt spectanda: *Instrumentum, quo pingebatur: Materies, in qua pingebatur: & Materies, qua pingebatur.*

§. 18. *Instrumentum, quo pingebatur, primo erant arundineæ calami, postea vero avium penne. Calamorum optimi habebantur, qui crescebant juxta Memphim, Nilum, vel Gnidum. C. PLIN. SECUNDUS (χ.): Chartis serviunt calami; Ægyptii maxime, cognatione quædam papyri: probatiores tamen Gnidii, & qui in Asia circa Anaiticum lacum nascuntur. M. VAL. MARTIALIS (ψ):*

*Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus:*

*Texantur reliqua tecta palude tibi.*

*Niloticum Calamum celebrat L. APULEJUS (ω): Hic fistipes D. MAGNO AUSONIO, Burdigalensi, dictus, quod crenam, aut incisuram habeat in cuspide (N): qui fimiliter (D) Melonis paginam, vel potius filiam dixit. Nam*



*Nilus olim Melo, teste FESTO ac SERVIO (3.). De penna est hoc D. JUN. JUVENALIS, Aquinatis (7):*

*Tanquam & diversis partibus orbis  
Anxia precipiti venisset epistola penna.*

(π.) GER. JO. VOSSIIUS (1.) *Sententia, inquit, Poeta est, tantos esse animorum motus, ac si Epistola celeri nuntius Romam apportaretur de provincia alicujus rebellione. ISIDORUS (1): Penna est avis, cujus acumen dividitur in duo: in toto corpore unitate servata. Sed calamus arboris est. Porro quum nunc pictores solum penicillo utantur; apud Sinenses etiam in scribendo usus est penicilli, quem atramento tingunt: soletque is esse e pilis leporinis, ut scribit NICOL. TRI-GAURIUS (π.).*

(X.) *Natural. Histor. Lib. XVI. Cap. XXXVI. (ψ.) Lib. XIV. Epigr. XXXVIII. (ω.) Metamorphoseōn, sive de aureo asino Lib. I. in princip. (ξ.) Epist. VII. ad Theon. vers. 49. (ζ.) Epist. IV. ad eund. Theon. vers. 75. (3.) Vid. GER. JO. VOSSII Institution. Orator. Lib. IV. Cap. XI. Sect. V. pag. 207. seq. (7.) Satyra IV. vers. 148. 149. (π.) Ad quem locum videantur Scholia tam vetera, quam nova, in Editione Juvenalis, quam adornavit HENR. CHRISTIANUS HENNINIUS, Ultrajecti, 1685. p. 130. 493. 702. 726. 788. 911. 972. (1.) Aristarchi Lib. I. Cap. XXXVI. p. 133. (1.) Origin. Lib. VI. Cap. XIV. Col. 961. (π.) Expedition. Sinica Lib. I. Cap. XIV.*

§. 19. *Materiem, in qua pingebantur litteræ, initio arbores, hinc quadrupedia, postea & lintea præbuere. Ex arboribus huic rei primo folia infervierunt, postea libri, sive interior corticis tunica, postremo & tabula dolata. De foliis indicio sunt, quæ de Sibylla tradit MARO (ϑ):*

*Foliis tantum ne carmina manda-*

*Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.*

*Ipsa canas, oro.*

*Folie*



Folia hæc præcipue fuerunt palmarum, in quibus scribebat hæc Sibylla. Non enim oracula sua ore reddebat, sed palmarum foliis inscripta ad ostium antri ponebat, quæ si vento agitata conturbari contigisset, nunquam postea induci poterat, ut de integro caneret, aut eadem in ordinem redigeret: atque ita incertiores abibant homines, quam venerant. De palma testis quoque PLINIUS (1.): De malva elegantissimos versiculos C. Helvii Cinnæ ISIDORUS adducit (2.):

*Hæc tibi Aratais multum inuigilata lucernis*

*Carmina, quæis igneis novimus æthereis*

*Levis in aridulo malvæ descripta libello,*

*Prusæcæ vexi munera navicula.*

Malvæ illud boni, quod folia ejus molliora, cum asperiora sint palmæ. Sed alio vincit palma, quia folia malvæ ob mollitiem vix sustinent calami mucronem: unde & necesse habebant, glutine & aliis firmare. Raro vero olim malvæ grande aliquod opus inscriptum fuit. Post folia in usu fuerunt libri arborum, nempe illud, quod inter corticem & lignum. Nam proprie cortex, quod ultimum; liber, quod proximum. Videndus hic ISIDORUS (3.). Sed & PLINIUS adeundus (4.), qui, in palmarum, inquit, foliis primo scriptitatum: deinde quarundam arborum libris. Arborea istæ imprimis tilia, quæ Græcis Φιλόγα; & papyrus, De tilia sic SVIDAS (5.): Tilia est arboris genus, quod librum habet similem byblos papyri. In libro tilia scribi olim solitum fuisse, testatur HERODIANUS (6.), qui de Commodò inquit; Sumto in manus libello, quales de phillyra tenuissimi atque in utramque partem replicabiles sunt, describit in eo, quoscunque illa nocte interficere destinaverat, ut ANGELUS POLITIANUS hunc locum transtulit.

MAR-



**MARTIANUS CAPELLA** (V.): *Cernere erat, qui libri, quantaque volumina, quot linguarum opera ex ore Virginis defluebant. Alia ex papyro, quae cedro perlita fuerant, videbantur: alia carbasinis voluminibus complicati libri: ex ovillis multi quoque tergoribus: rari vero in philura cortice subnotati. Clara quoque illa ULPIANI verba* (D.): *Librorum appellatione continentur omnia volumina, sive in charta, sive in membrana sint, sive in quavis alia materia. Sed &, si in philura, aut in tilia, ut nonnulli consueverunt; aut in quo alio corio: idem erit dicendum.*

**Q. SEPTIMIUS ROMANUS, DICTYOS CRETENSIS** interpres (V): *Libros ex philura in lucem producturi. Item auctor Praefationis de vita Dictyos: De toto hoc bello sex volumina in tiliis digessit Phoeniceis litteris: quae jam reversus senior in Cretam, praecipit moriens, ut secum sepelirentur. Itaque ut ille iusserat, memoratas tiliis in stannea arcula repositas, ejus tumulto condiderunt. Et mox: Pastores aperta arcula invenerunt tiliis, incognitis sibi litteris conscriptas.*

(D.) Lib. VI. *Aeneid.* vers. 74. seqq. (V.) *Natural. Histor. Lib. XIII. Cap. XI.* (D.) *Origin. Lib. VI. Cap. XII. Col. 960.* (V.) *Supra §. 2. citatus.* (D.) *Natural. Histor. Lib. XIII. Cap. 1.* (D.) *Hac voce, in Historicis.* (D.) *Lib. I. p. 82.* (V.) *Lib. II. de nuptiis Mercurii & Philologiae, p. 201.* (D.) *L. 52. II. de Legatis Lib. 3.* (V.) *Epistola ad Q. Arcadium.*

§. 20. Post Tiliam de Papyro est agendum. Ea fuit planta Aegyptia, duo cubita non excedens. De qua post THEOPHRASTUM & DIOSCORIDEM, C. PLINIUS SECUNDUS (P.) & CL. GALENUS (V). Eadem dicebatur βίβλα, vel βύβλα. Retinet hanc appellationem LUCANUS (V):

*Nondum flumineas Memphis contexere biblos  
Noverat.*

Nec



Nec tamen in sola Ægypto Biblus crescebat : sed etiam in Cœle-Syria, Babylonia, India : alibi, quod constet, non item.

(P.) *Natural. Histor. Lib. XIII. Cap. XI. (N.) De simplicium medicamentorum facultatibus, Lib. VIII. Operum, Sect. II. pag. 875. Edit. Venetæ, 1542. in 8v. (Ψ.) Pharsalia Lib. III. vers. 222. seq.*

§. 21. Aliud vero Charta, aliud Papyrus, vel Biblus. Papyrus materies erat, ex qua Charta fieret. Nec Papyro Chartæ datum nomen videtur, nisi cum Epistolis salutatricibus inserviret. Est enim χαίρης Græcum, a χαίρειν, gaudere, salvere, ut ad verbum notet saluator. Unde Epistolam sic περιφράζει M. VALER. MARTIALIS (Ψ) :

*Charta salutatrix si modo vera refert.*

Primus autem Cleon in Epistolis χαίρειν usurpavit (N) : Primus, eo rejecto. ἐν περὶ τῶν, hoc est, bene agere, prætulit Plato : Epicurus vero ἐν διαίσειν, bene vivere, adscripsit (A).

(Ψ) *Lib. IX. Epigr. C. (N.) LUCIANUS pro eo, quod inter saluandum verbo lapsus fuerat, Tom. III. Operum, pag. 193. 197.*

(A) LAERTIUS DIOGENES, in Platone, Lib. III. de *Vitâ Dogmatum & Apophthegmatum eorum, qui in Philosophia claruerunt, f. 84. Edition. THOMÆ ALDOBRANDINI, quæ proavit Romæ, A. 1594. in fol. PLATO in Charmide, vel de Temperantia, Oper. Tom. I. p. 807. seqq. & Epistol. III. Oper. Tom. II. p. 701.*

§. 22. Modum conficiendæ ex Papyro Charta describit PLINIUS (B) : Preparantur ex Papyro Charta, diviso acu in prætenues, sed quam latissimas phyluras. Ubi clare Plinio Papyrus est totus scapus, sive caulis ; ex cujus libro plures phyluræ fiebant. Deinde sequitur : Principatus mediæ, atque inde scissuræ ordine ; hoc est, ut infra ait : proximarum semper bonitatis diminutione ad deterrimas. Ex his cognoscimus, uti cepa tunicas habet multas, quas acu melius, quam cul-

D

tro



tro dividas : sic papyrum solitum esse dispesci in teuues philuras, iis acu a se invicem separatis, ita, ut suo quæq; ordine detraherentur. Porro philuræ illæ acu separatæ ad modum cratis fratæ sunt super tabulam, sive asserem ligneum, madentem turbida Nili aqua. Ea aqua contexebat & conglutinabat plagulas. Plagulæ ita contextæ imponebantur prelo, ut humor exprimeretur. Prelo exemptæ exponebantur soli, ut magis ficcarentur. Siccatæ digerebantur in scapum; qui summum erat philurarum XX: uti hodie scapus solet esse philurarum XXV. Verum nunc usus obtinet, ut fere pro scapo dicamus volumen papyraceum: vulgo & librum chartæ nuncupant: pro philura autem folium usurpant. Sed *de turbida Nili aqua* quod dixit PLINIUS, non fuit perpetuum. Nam initio quidem ea affusa fuit marginibus, ut jungerentur schedæ, seu philuræ papyri. Postea autem pro Nili liqore fuere usi *vero glutino*. *Constabat igitur Charta veterum duobus rebus, Papyro & Glutino. Glutinum illud, quia oris intergerebatur, ut eas inter se jungeret, intergerium PLINIUS (C.) appellavit.*

(B.) *Natural. Histor. Lib. XIII. Cap. XI. & XII.* (C.) *Los. cit. Cap. XII.*

§. 23. *Charta hujusmodi genera varia fuere.* Quæ majoris formæ fuit, appellata est *Hieratica*; quia ea annales, rituales, aliique libri sacri, ab Hierophantis scripti sunt. Sed non fuit unius generis. *Una* postea, ab adulatione, Augusti Cæsaris nomen accepit, & *Augusta* dicta est. *Alter*, in honorem Livie Augustæ, *Livia*, vel *Liviana* est nuncupata. Ceterum, cum Augusta, ob tenuitatem, tolerandis non sufficeret calamis: Claudius Cæsar chartam reperit tenuiorem *Livia*: minus tenuem  
Augusta:



Augusta : quæ ex eo *Claudia* dicebatur. Post hæc erat *Amphitheatrica*, sic nominata a loco, ubi fieret. Hæc Amphitheatrica in Ægypto curata, recurabatur Romæ: cumqve advecta solum octo esset digitorum, malleo ita extendebatur, ut novem fieret digitorum. Ac dicebatur tum *Fannia*, seu *Fanniana*, a nobili illo Grammatico, Q. Remmio, vel Rhemnio Fannio Palæmone, qui chartarum habuit officinas. Quemadmodum & promerccium vestium officinas exercuit : ut de eo C. SVETON. TRANQVILLUS (D.) refert : qui rei familiaris diligentissimum fuisse addit. Post chartam Fanniam pretium suum erat *Saitica* : cui nomen dedit Ægypti oppidum Sais. Hac magis plebeja fuit charta *Tamotica* : quæ prope Tæniam in Ægypto fiebat. Ultima dignitas *Emporetica*, sive *Emporetica* censebatur. Ea sic dicta, quia hæc *ἐμπόροι* sive negotiatores, merces suas involverent. Nam scribendo erat inepta : ut quæ ex scheda fieret cortici proxima. Hæc ex PLINIO (E.). Paulo aliter de Chartis agit ISIDORUS (F.), qui *Cornelianam* addit ; cui nomen esse impositum ait a primo ejus auctore, Cornelio Gallo, Ægypti Præfecto, quem MARO celebrat *Ecloga* X. de qua *Plinius* flet. Sed hic ex Papyro Chartam faciendi mos jam EUSTATHII desiit ætate ; ut ipse scribit *ad Odyss.* φ. (G.) Ubi *ξυλοχαρτῖα* appellat Chartas veterum : ad discrimen earum, quibus vulgo utimur : quarum consideratio præsentis instituti non est.

(D.) *De Illustribus Grammaticis*, Cap. XXIII. (E.) *Histor. Natural.*

*Lib. XIII. Cap. XII.* Conf. GER. JO. VOSSII *Aristarchus Lib. I.*

*Cap. XXXVII. p. 137. seq.* (F.) *Origim. Lib. VI. Cap. X. col. 959. 960.*

(G.) *Vers. 389. 390. f. 764. seq. Edis. Froben. 1559.*

S. 24. *Libris Arborum successere Tabella lignea*, quæ  
schedæ



*scheda* erant, vel *tabellæ ceratæ*. *Scheda* erant *tabellæ nudæ*, five non *inductæ cera*. PLINIUS (H): *Privata monumenta linteis confici cœpta, aut schedæ*. *Tabellæ illæ*, si simplices, erant *crassiores*; ut e quibus *pueri discerent*, & in qua *litteras facerent*. M. ACCIUS PLAUTUS (I):

*Extemplo puer pedagogo tabula dirumpit caput.*

Quod *tenuis tabella non potuisset*. Sin *plures jungi opus foret*, *secabantur per ferrulam in tenues laminas*. M. VALER. MARTIALIS (K):

*Secta nisi in tenuis effemus ligna tabellas,*

*Effemus Libyci nobile dentis onus.*

Præterea *dolabantur*, & *subtiliter levigabantur*, ut *facilius in iis scriberetur*. ISIDORUS (L): *Ante chartæ & membranarum usum, in dolatis ex ligno codicillis epistolarum colloquia scribebantur*. Unde & *portitores earum Tabellarios* vocaverunt. *Dicti autem Codices*, & *diminuendi forma Codicilli*, quia *fierent e caudice in schedas secto*. *Tabellæ ceratæ* vocabantur, quia erant *crusta ceræ illitæ* (M). Tales *Tabulas ceratas non unas e vetustate*, in *luculenta Academiæ Juliæ Bibliotheca se vidisse*, testatur M. SAM. SCHMID | *illustris Quedtici nuper Rector* (N). *Discriminis vero hoc in Libro, & Codice, ac Codicillis*; quod *in Libro scriberetur, nec deleretur*: *in Codicillis quæ scriberentur, postea etiam inducerentur*.

(H.) *Hist. Nat. Lib. XIII. Cap. XI. (I.) Bacchid. Ast. III. Scen. III. vers. 37. (K.) Lib. XIV. Epigr. III. cui Lemma*: *Pugillares citrei. (L.) Origin. Lib. VI. Cap. VIII. col. 959. (M.) Videatur A. GELLIUS, Noct. Atticar. Lib. XVII. Cap. IX. (N.) In Hodego Epistolico, pag. 5.*

§. 25. *Linteis quoque Libris scriptum fuisse, testis est iterum PLINIUS (O). Sic scripta fuere Oracula Sibyllina.*



lina. Unde Q. AUREL. SYMMACHUS (P.): *Martiorum vatam divinatio caducis corticibus inculcata est. Monitus Cumanos linteae texta sumserunt.* Et CL. CLAUDIANUS (Q):

*Quid carmine poscat*

*Fatidico custos Romani carbasus avi.*

In quem locum CASPAR BARTHIUS (R.) sequentia animadvertit: *Carbasus lintecum tenuissimum, opulentiae nomine, non necessitatis, ut sericum, amictui usurpatum, auctore Nonio. Talium usus in scribendo, & inarata huic generi Sibyllina carmina.* Fœdera etiam publica Romani sic exaraverunt. T. LIVIUS (S): *Pratermissa nomina Consulorum horum. Licinius Macer auctor est, & in fœdere Ardeatino, & linteis libris ad Moneta inventa.* Ad quæ verba WILH. GODELEVÆUS (T.) scribit: *Linteï libri erant, in quibus imperii Romani facta continebantur, ut tradit Gyraldus Historiæ Deorum Synt. 3. Libri veteris linteï Samnitium idem LIVIUS (U.) meminit. Quandoque & leges sic scripsere.* CONSTANTINUS AUGUSTUS (X): *Æneis tabulis, vel cerusatis, aut linteis mappis scripta per omnes civitates Italia proponatur lex, quæ parentum manus a parricidio arceat.* Immo & privatæ Principum Epistolæ. FLAVIUS VOPISCUS, Syracusius (Y): *Inveni nuper in Ulpia Bibliotheca inter linteos libros Epistolam D. Valeriani, de Aureliano Principe scriptam.* Perfæ etiam in serico scripsisse, indicat hoc SYMMACHI (Z): *Tu etiam sericis voluminibus, Achaemenio more, infundi litteras meas præcipis.* Indis quoque mos scribere in sindone: ut est apud PHILOSTRATUM LEMNIUM (a).

(O.) *Loc. cit.* (P.) *Lib. IV. Epist. XXXIV.* (Q.) *Lib. de Bello Getico, vers. 231. seq.* (R.) *In Commentar. p. 323.* (S.) *Historiar. Lib. IV. Cap. VII.* (T.) *Observationum in T. Livium, p. 99.* (U.) *Historiar. Lib. X. Cap. XXXVIII.* (X.) *L. 1. de alimentis,*



que inopes parentes de publico petere debent, in Cod. Theodosiano.  
 (Y.) In D. Aureliano, f. 273. *Histor. Augustæ Scriptor. Latinar.  
 Minor. Tom. II. Opera Frid. Sylburgii editorum Francofurdi, 1588.*  
 (Z.) Lib. IV. Epist. XXXIV. (a.) In Vita Apollonii Tyaneæ, Lib. II.  
 Cap. IX. fol. 78. Conferatur ALEXANDER ab ALEXANDRO,  
*Genial. Dier. Lib. II. Cap. XXX. f. 105.*

§. 26. Tandem etiam, cui inscribatur olim, *mate-  
 riam ab animantibus habuerunt; Pelles, & Intestina.* De prio-  
 ribus M. VALER. MARTIALIS (b):

*Pellibus exiguis arctatur Livius ingens,  
 Quam mea non totum bibliotheca capit.*

Item supra (c):

*Ilias & Priami regnis inimicus Ulyses,  
 Multiplici pariter condita pelle latent.*

Immo, si ISIDORUM (d.) audimus, *folia librorum dicta,  
 quod ex follibus fierent, i. e. pellibus, quæ de occisis animalibus  
 detrahi solent.* Sed foliis nomen, quia primo in foliis  
 arborum scriberent. At recte ab eo more idem *membrane*  
*nomen* deducit: quia deglupta animalium membris. Sane  
*Pergamena* erant ovillæ pelles. Quia autem pelles illæ  
 pilos prius habuere, eo A. PERSIUS (e.) ait:

*Jam liber: & bicolor positus membrana capillis  
 Inque manus chartæ, nodosaque venit arundo.*

Nec tamen solum usi pellibus, quas membris detraxe-  
 rant, verum & *Intestinis*: ut *omentis elephantorum*, de qui-  
 bus ISIDORUS (f.): ubi tamen perperam *pro omentis*  
*legitur momentis.* Item *intestino Draconis*: quale illud pedum  
 centum viginti, cui JO. ZONARAS (g.) *aureis litteris*  
*Homeri Poemata, tam Iliada, quam Odysseam, inscripta fuisse ait.*

(b.) Lib. XIV. Epigr. CXC. (c.) Eod. Lib. Epigr. CLXXXIV. (d.)  
*Origin. Lib. VI. Cap. XI. (e.) Satyra III. vers. 10. II. (f.) Ibid.*  
*Cap. XII. (g.) Compend. Historiarum, sive Annal. Tom. III. f. 43.*

§. 27. Mem-



§. 27. *Membranarum* autem *usum* esse antiquissimum, vel Græcorum Proverbium indicat, ἀρχαιότερα διφθέρας, *diphthera antiquiora*. Persas membranis usos, argumento est, quod res ab illis gestæ, quæ litteris consueverunt mandari, redigerentur in membranas, qualibus regionum Annalium Codicibus se usum in Persicis rebus describendis, ipsemet CTESIAS professus est, teste DIO-DORO SICULO (b.). Membranacei quoque fuere libri, & aureis litteris inscripti, quos Eleazar, Pontifex Judæus, misit Ptolemæo Philadelpho, ut est apud FL. JOSEPHUM (i.). Mirum igitur, quod PLINIUS (k.) ex Varrone refert; *Pergami, ab Eumene Rege, inventas esse membranas, supprimente chartas Rege Ptolemæo*. Adeone recens membranæ usus est? Æque vero mirum est, quod ibidem legitur: *Chartam Alexandri M. victoria repertam, auctor est M. Varro, condita in Ægypto Alexandria: antea non fuisse chartarum usum*. Sed non est dubium, quin & longe ante Alexandriam conditam in usu fuerit charta, quod ostendit MELCHIOR. GVILANDINUS (l.): & quin ante Eumenem Pergamenum membranarum usus fuerit; quod liquet ex ante dictis. Nimirum Chartæ per Græciam vulgaris fuit usus: usque dum ex æmulatione inter Ptolemæos & Pergamenos Reges, qui de Bibliothecæ nobilitate certabant, Rex Ægyptius vetuit chartam Ægypto efferri. Tum Pergamenus Rex, ne ab studio priori remitteretur, curavit, ut membranarum longe major esset copia. Atque exinde passim in Græcia membranis cœpit abundari; quæ Pergamenæ dictæ, quia optimæ Pergamo adferrentur.

(h.) *Bibliotheca Historica Lib. II. Cap. IX. fol. 84. Edition. HENR. STEPHANI, 1559.* (i.) *Antiquatum Judaicarum Lib. XII. Cap. II.*



Cap. II p. m. 167. (k.) *Natural. Histor. Lib. XIII. Cap. XI.*  
 (l.) *Commentar. in iria C. Plini Caputa Lib. XII. nempe XI. XII.*  
 & XIII. quibus agit de Papyro.

§. 28. A quadrupedibus etiam Ebur fuit; quippe dens elephantini. MARTIALIS (m.):

*Sec̄ta nisi in tenues essemus ligna tabellas.  
 Essemus Libyci nobile dentis opus.*

Idem (n.):

*Languida ne tristes obscurent lumina cere,  
 Nigra tibi niveum littera pingat ebur.*

Aliud vero Ebur, aliud Elephantum. Aliud quoque Eburneum, aliud Elephantinum. Eburnei Libri ex ebone elephantini ex intestinis Elephantum erant. De his habemus locum FL.

VOPISCI (o.): *Ac ne quis me Græcorum alium vel Latinorum existimet temere credidisse, habet Bibliotheca Ulpia in armario sexto librum Elephantinum, in quo hoc S. C. perscriptum est: cui Tacitus ipse manu sua subscripsit. Nam diu hæc S. C. quæ ad principes pertinebant, in libris elephantinis scribebantur. De eburneis autem libris patet ex MARTIALI. In Ebore enim scripserunt veteres, sed atramento non vulgari; licet hoc neget JOSEPHUS JUSTUS SCALIGER (p).*

(m.) *Lib. XIV. Epigr. III. Lemmate, Pugillares cures. (n.) Eod. Libr. Epigr. V. Lemmate, Pugillares Eborei. (o.) In Tacito Imp. f. 285. Conferatur LUCII JO. SCOPÆ Lib. I. Collationum Cap. XIX. Tom. I. Thesauri Critici JANI GRUTERI, p. 921. & JO. BRODÆI, Miscellaneorum Lib. IV. Cap. XII. Tom. II. Thesauri modo citati, p. 516. 517. (p.) Animadversion. in Goulandin. apud RUD. CAPELLUM Lectionum Bibliothecarum Memorabilium Synagm. R. 7. seqq.*

§. 29. Fuit Materia, in qua animi sensa signabantur. Sequitur nunc Materia, qua in Chartis, Membranis, vel Linæis veteres scribebant. Ea imprimis fuit atramentum libra-

rium,



rium, ut vocat M. VITRUVIUS POLLIO (q.), sive scriptorium, ut nominat CORNEL. CELSUS (r.), de quo & PEDANIUS DIOSCORIDES ANAZARBEUS (s.), item C. PLINIUS SECUNDUS (t.), & ISIDORUS (u.). HORATIO vocatur nigra succus loliginis (x.). Nempe quia loligo in metu de se effundit nigrum succum, qui pro atramento est: unde nobis dicitur Dintenfisch / hoc est, piscis atramenti. Atque idem, PLINIO (y.) teste, facit piscis alius, cui Sepia nomen: unde & Sepia pro Atramento. Ita usus A. PERSIUS (z.):

Jam liber; & bicolor positis membrana capillis,

Inque manus charta, nodosaque venit arundo.

Tunc queritur; crassus calamo quod pendeat humor,

Nigra quod infusa vanescat sepia lympha,

Dilutas queritur geminet quod fistula guttas.

Quem in locum monet vetus Scholiastes, etsi atramentum vulgo fieret e fuligine, fornacium puta ac balnearum; Poetam tamen Sepia pro eo posuisse, quia Afris ejus piscis succus pro atramento esse soleat.

(q.) De Architectura Lib. VII. Cap. X. p. 325. (r.) Lib. VI. Cap. IV.

(s.) De Medicinali Materia Lib. V. Cap. XCVI. f. 419. (t.) Natural. Histor. Lib. XXXV. Cap. VI. (u.) Origin. Lib. XIX. Cap. XVII.

col. 1295. (x.) Sermon. Lib. I. Sat. IV. vers. 100. (y.) Natur.

Hist. Lib. IX. Cap. XXIX. (z.) Satyra III. vers. 10. seqq.

§. 30. Sed Atramento quidem Libri scribebantur; Tituli vero & Capita Librorum rubri erant coloris. Quam ad rem minus usus. Unde OVIDIUS (A.):

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Hinc vet. Glossæ: Rubrica, δια μιλίε ἐπιγραφή. Idem in Legum titulis fiebat. A. PERSIUS (B.):

Excepto, si quid Masuri rubrica vetavit.

E

D. JUN.



D. JUN. JUVENALIS (Γ.) :

*Scribe puer, vigila, causas age, perlege rubras  
Majorum leges.*

AUREL. PRUDENTIUS CLEMENS (Δ.) :

*- - Dicant, cur condita sit lex,  
Bis sex in tabulis? aut cur Rubrica minetur,  
Qua prohibet peccare reos?*

Et Imp. LEO AUGUSTUS (E.) vetat, Sacros affatus, quoscumque Imperatoria mansuetudinis in quacumque parte paginarum scripserit auctoritas, alio vultu penitus, aut colore, nisi purpurea tantum inscriptione lustrari: Scilicet, ut cocti muricis, & triti conchylii ardore signentur. Et hic color Encaustum appellabatur (Z). Hunc Constantinopolitanorum Imperator. morem etiam confirmare est ex Annalibus CONSTANTINI MANASSIS. Sic Palæologus Imp. Constantinopolitanus, Romæ, in æde Spiritus S. Ecclesiæ Romanæ subjectionem jurans, Syngrapham conchylii sanguine a se subscriptam testatam reliquit; quod ex Epitome Chronitorum WERNERONIS, Leodiensis Monachi, BARN. BRISSONIUS, de Verborum Significationibus, quo loco agit de Encausto Sacro, quod ex muricis seu conchylii cruore erat, refert (H.).

(A.) Tristium Lib. I. Eleg. I. vers. 7. In quem locum videndæ BARTHOL. MERULÆ enarrationes, f. 411. (B.) Sat. V. vers. 90. (Γ.) Sat. XIV. vers. 191. seq. (Δ.) Contra Symmachum Lib. Poster. vers. 460. seqq. (E.) L. 6. de diversis Rescriptis & Pragmaticis Sanctionibus, Cod. Lib. I. Tit. XXIII. (Z.) Vid. PLINIUS Natural. Histor. Lib. XXXV. Cap. XI. & M. VITRUVIUS POLLIO de Architectura Lib. VII. Cap. XIII. (H.) Conf. GERARD. JO. VOSSII Etymologicum Lingvæ Latine, voc. Encaustice,

§. 31. Duo



§. 31. Duo itaque in *Scriptione*, ut dictum, colores obtinuerunt, *ater & ruber*. Ad utrumq; non semper liqvore opus fuit; sed instrumento etiam, quod & calami, & liqvoris sive coloris vicem præstitit. Sic *rubrica*, sic *plumbo* scribi solebat, maxime vero *cretam & carbonem* adhibebant, ut vulgatissima, quibus armata habebant *graphiaria*. A. PERSIUS (⊙):

*Quæque sequenda forent, quæque evitanda vicissim,  
aut illa prius creta, mox hæc carbone notasti.*

M. VALER. MARTIALIS (I):

*Qui carbone rudi, putrique creta.*

*Scribit carmina.*

Etiam de Carbone hoc PLAUTI (K):

*Impleantur mea fores elogiorum carbonibus.*

(⊙) *Sat. V. vers. 107. seq. (I.) Lib. XII. Epigr. LXII. de Ligurra.*

(K) *Mercatore Act. II. Scen. III. vers. 74. In quem locum videantur Commentarii FRID. TAUBMANNI, p. 913. seq.*

§. 32. His coloribus aperte olim scriptum est. Superest TERTIO divisio ex scribendi modis, pro majori minori que notitia inter homines. Horum modorum unus fuit apertus, ac vulgaris; alter opertus, sive occultus. De aperto nihil attinet dicere. *Operte sive occulte* quando scribebatur, *Scriptura vel erat conspicua, vel inconspicua*. *Conspicua* erat, quæ videbatur, simul ac scribebatur. *Inconspicua*, quæ primo non videbatur, sed arte ab eo, cui scribebatur, conspicua reddebatur. Sed de *inconspicua* sive *clandestina scriptura*, ejusque artificiis, plura videantur apud JO. BAPTISTAM PORTAM *Neapolitanum* (A.), & GERARD. JO. VOSSIUM (M.). *Scriptura*, quæ *conspicua* quidem est, simul ac scribitur, sed ab artis ignaro legi nequit, vel litteris, vel aliis notis constat. Prior est



*triplex*. Nam vel *aeque*, vel *plus*, vel *minus* scribitur. *Aeque* scribitur, cum totidem notantur litteræ, ac vulgo opus; sed artificium latet in eo, quod litterarum potestas commutetur. Ut, si loco propriæ figuræ collocem litteræ alius figuram: puta, vel proxime sequentis; ut B, pro A, C, pro B, ac deinceps eadem ratione sequentes litteras: pro Z autem duplex A, quam rationem iniit *Octavius Caesar Augustus*, teste SVETONIO (N.): vel si non proximæ quidem, sed tertiæ, quartæ, aut quintæ, vel alius, substituas figuram. Quartam elementorum litteram, primæ loco, usurpabat *C. Jul. Caesar*, & perinde reliquas commutabat; ut est apud eundem SVETONIUM (Z.). *Aeque* etiam scribebant *Lacones in Scytale*: sed litteris divulgis legi non poterat, nisi membrana, aut corium, cui inscriptum, ligno circumdaretur. D. MAGNUS AUSONIUS, *Burdigalensis* (O.):

*Vel Lacedæmoniam Scytalen imitare, libelli  
Segmina Pergamei teresi circumdata ligno  
Perpetuo inscribens versu; qui deinde solutus  
Non respondentem spatium dedit ordine formas:  
Donec consimilis ligni replicetur in orbem.*

Plura de ea PLUTARCHUS *Chæronensis* (Π.), A. GELLIUS (P.), & HIERONYMUS CARDANUS, *Mediolanensis Medicus* (Σ.); adversus quem videndus JUL. CÆS. SCALIGER (T.). Hæc occulte scribendi ratio suam habuit infantiam, habuit reliquam pueritiam. Nunc adolevit, ut prioribus jam vulgatis, longe occultioribus sit opus. Cujusmodi permulta reperere intermedia secula, multa etiam priorum inventis ætas nostra adjecit (T.). Sed ad reliqua pergamus.

(A.) *Magia*



(A.) *Magie Naturalis Lib. XVI. p. 344. seqq.* (M.) *Aristarchi Lib. 1. Cap. XL. p. 143. seqq.* (N.) *In ejus vita, Cap. LXXXIX.* (E.) *In vita ejus, Cap. LVI.* (O.) *Ad Paulinum, Epist. XXIII. vers. 23. seqq.* (Π.) *In Lyfandro, Vitar. Parallelar. Tom. II. p. 103. Edit. Gvil. Xylandri, 1603.* (P.) *Noctium Atticarum Lib. XVII. Cap. IX.* (Σ.) *De Subtilitate Lib. XVII. p. 323. seq.* (T.) *De Subtilitate, Exercuat. CCCXXVII. p. 1006. seq.* (T.) *Vid. JO. TRITHEMII, Abbas. Sponheimens. Steganographia, quam incomparabili libro explicuit SERENISSIMUS GUSTAVUS SELENUS. JO. CARAM. A LOBKOWITZ, CASP. SCHOTTUS, DAN. SCHWENTERUS, & alii, illos secuti, multas methodos occulte scribendi aperuerunt. Novissime quoq; M. LUDOVICUS HENRICUS HILLERUS, Diaconus Eslingensis, Mysteriorum Artis Steganographica, in Gratiam Collegii Curiosorum, edidit, quod a Trithemio, Schotti, aliorumque Steganographis, quatuor modis, in Libri Præfatione, distingvit.*

§. 33. *Plus scribitur*, quando litteris necessariis miscemus otiosas. Quod cum multis fiat modis, imprimis tamen artificium laudatur, quando per membranam scribitur fenestratam. Nec enim, qui non habet foraminibus prorsus convenientem, ea, quæ locis patentibus scripta, distingvere ab iis poterit, quæ iis postea locis adscripta, quas texerat membrana.

§. 34. *Minus scribitur* per litterarum compendia: hoc est, cum una, vel duæ litteræ, pro voce ponuntur pluribus litteris constante. Ut, cum Epistolæ initio scribitur S. hoc est, *salutem*; vel S. P. D. pro *salutem plurimam dicit*. Item, S. V. B. E. E. Q. V. hoc est, *Si vales, bene est, ego quidem valeo*. Quamquam in talibus, ob consuetudinem, res minime obscura. Occultior in aliis: quæ tradit VALERIUS PROBUS, *Grammaticus* (†), qui Hadriani Cæsaris ætate floruit.



*Sigla, vel Siglas, per Syncopen, pro Sigillas. Nam ut a Signum, Sigillum; ita a singulus, sigillus: unde sigillatim, ut a singulus singulatim. Sigilla autem in feminino genere, quia intelligitur Littera. Unde SEX. POMPEJUS FESTUS (x.): Nota alias significat signum; ut in pecoribus, tabulis, libris, littera singule, aut bina, alias ignominiam. Sic singulas litteras dixit CICERO (ψ); Singularias A. GELLIUS (Ω). Solent enim Jcti in exscribendis legibus uti Siglis: Unde M. MANILIUS (α):*

*Hic & scriptor erit velox, cui littera verbum est,  
Quique notis linguam superet, cursimque loquentis  
Excipiat longas nova per compendia voces.*

*Et ibidem (β):*

*Hic etiam Legum tabulas, & condita Jura  
Noverit atque notis levibus pendentia verba.*

*Ubi de Siglariorum, sive Singularum Scriptore sermo est Poetae (γ). Talem etiam describit MARTIALIS (δ):*

*Currant verba licet, manus est velocior illis:*

*Nondum lingua, suum dextra peregit opus.*

*Confer. D. MAGNI AUSONII Epigr. CXXXVIII. quod longius est. Græcis Nota est σημειον, & Notarius σημειογράφος, & ταχυγράφος. Notare vero ἐπισημαίνεσθαι, σημειογράφειν, ταχυγράφειν (ε). Notarii autem veterum erant non solum Scribe, qui per notas & compendia dictantis verba tam celeriter & expedite excipiebant, ut linguam dicentis anteverterent; sed etiam Actuarii, quia in acta referebant, quæ dicebantur in Senatu & ad Populum. Quare unum idemque erunt Notæ ac Sigla, Siglariorum & Notariorum. De his plura qui volet, adeat ISIDORUM (ζ), JO. TRITHEMIUM (η), PETRUM BEMBUM (θ), & imprimis JUSTUM LIPSIUM (ι). De litteris vocem inte-*



integram signantibus exstant *Libelli*, VALERII PROBI,  
Grammatici, MAGNONIS, & PETRI DIACONI (x.).

(φ.) *Opusculo de Litteris antiquis*, sive, de nominibus Romanorum interpretandis; inter Auctores Lingvæ Latinæ, quos in unum corpus redegit, & in 4t. 1595. edidit DIONYS. GOTHOFREDUS, *JCtus.* (X.) *De Verborum significatione*, p. CCL. (ψ.) *Oratione pro L. Muræna*, Cap. XI. (Ω.) *Notitium Atticar.* Lib. XVII. Cap. IX. (α.) *Astronomici* Lib. IV. vers. 197. seqq. (β.) *Vers.* 209. seqq. (γ.) Vid. *Castigationes & Notæ* JOSEPHI SCALIGERI in *Apothelematicum M. Manili*, p. 287. seqq. (δ.) *Lib. XIV. Epigr. CXXXVIII.* (ε.) GER. JO. VOSSIUS, *Etymolog. Lingv. Lar. voce*, Nota. (ζ.) *Origin.* Lib. I. Cap. XX. Col. 834. seq. (η.) *In Polygraphia.* (θ.) *Epistolar. Familiar.* Lib. V. *Epist. VIII.* quæ ad *Julium II. Pontif. Max.* p. 569. seqq. (ι.) *Centur. I. ad Belgas.* *Epist. XXVI.* ad *Leonard. Lessium*, p. 635. seqq. (κ.) *Inter Auctores Lingvæ Latinæ*, de quibus hoc paragrafo, lit. φ.

§. 35. Verum, cum hinc sæpe error obveniret, quia una littera plurium crebro vocum erat signum, Imperator JUSTINIANUS vetuit, *Leges Singulis aut Notis scribi.* Verba ejus (λ.) hæc sunt: *Ne autem per Scripturam aliqua fiat in posterum dubitatio: jubemus non per siglorum captiones, & compendiosa enigmata, quæ multas per se, & per suum vitium, antinomias induxerunt, ejusdem Codicis textum conscribi, etiam si numerus librorum significatur, aut aliud quicquam: nec enim per specialia signa numerorum manifestari, sed per litterarum consequentiam explanari concedimus.* Et Titulo eodem (μ.): *Eandem pœnam falsitatis constituimus & adversus eos, qui in posterum leges nostras per siglorum obscuritates ausi fuerint conscribere. Omnia enim, id est, & nomina prudentum, & titulos, & librorum numeros, per consequentias litterarum volumus, non per sigla manifestari: ita, ut, qui talem librum sibi paraverit, in quo Sigla posita sunt, in qualemcumque locum libri vel voluminis, sciat*



sciat inutilis se esse Codicis dominum: neque enim licentiam aperimus ex tali Codice in iudicio aliquid recitare, qui in quacunque sua parte Sigilorum habet malitias. Atque ut e libris Juris Latini JUSTINIANUS: ita e Græcis quoque BASILIUS Imperator illas notas sustulit. Vid. GEORG. CEDRENIUS (ν.). Quam antiqua sit hæc ratio scribendi litteris singulis, ostendit illud CICERONIS (ξ.): Irati Jæci, quod sunt veriti, ne dierum ratione pervulgata, & cognita, sine sua opera lege posset agi, notas quasdam composuerunt, ut omnibus in rebus ipsi interessent. Videantur Nota Juris a MAGNONE collecta, & Carolo Regi his versiculis,

Hæc juris σημεῖα lubens Rex accipe CARLE,

Offert devotus quæ tibi Magno tuus,

dedicatæ (ο.); ubi vocem σημεῖων haut aliter accipere videtur MAGNO, ac TULLIUS (π.), quando scribit: Quod ad te de decem legatis scripsi, parum intellexi; credo, quia dicæ σημεῖων scripseram.

(λ.) Cod. Lib. I. Tit. XVII. de veteri jure enucleando, Leg. I. §. 13.

(μ.) Leg. I. §. 22. (ν.) Annal. f. 467. (ξ.) Oratione pro L.

Murana, Cap. XI. (ο.) Conf. §. 34. Not. Φ. & π. (π.) Lib.

XIII. ad Attic. Epist. XXXII.

§. 36. Restat Scriptura, quæ non litteris, sed aliis notis consistit. Hæc multiplex fuit: Sed duos solum modos, ab antiquis proditos, commemoratione dignos, cum GER. JO. VOSSIO (ρ.), putamus. Unus est Ægyptiorum per Signa Hieroglyphica: alter Romanorum per Notas præse sic vocatas. ἱερογλυφικά, sive, ut vox sonat, Sacra sculptura, nihil aliud erant, quam animalium mutarumque rerum figuræ, ab Ægyptiis loco litterarum in sacris usurpatæ, ne a vulgo intelligerentur. Hæc ante Papyri usum faxis insculpebant. Unde M. ANNÆUS LUCANUS (σ.):

Saxis



- - - *Saxis tantum volucresque, feraeque,*  
*Sculptaque servabant magicas animalia linguas.*  
 Et C. CORN. TACITUS (τ.); Primi per figuras anima-  
 lium Ægyptii sensus mentis effingebant, & antiquissima mona-  
 menta memoria humana impressa saxis cernuntur. Auctor, qv̄i  
 primus Hieroglyphica Ægyptiorum in unum qv̄asi cor-  
 pus retulit, fuit HORUS NILIACUS, HORAPOLLO,  
 vel HORUS APOLLO, aliis dictus, qv̄em Notis & Com-  
 mentariis illustravit NICOLAUS CAUSSINUS, *Trecens.*  
*e Societate JESU.* Hic HORUS JO. PIERIO VALERI-  
 ANO ansam dedit, ad *Hieroglyphicorum Libros* concinnan-  
 dos; qv̄em secutus P. BRIXIANUS, ingens *Symbolorum*  
*volumen* congeffit. Qv̄ædam etiam expressiora Hiero-  
 glyphicorum lineamenta videre licet apud CLEMEN-  
 TEM ALEXANDRINUM (υ). *Romani* notis usi sic  
 presse dictis, qv̄æ fuere & puncta, & lineæ, & flexuræ,  
 & catenationes, Nam late si notarum voce utamur,  
 comprehendat ea Siglas, sive Notarum compendia, de  
 quibus ante dictum est. Hæ autem notæ litteræ non  
 erant, sed peculiari forma pingebantur. Ejusmodi  
 Notas mille & centum invenisse creditur Ennius. Alias  
 postea addidit Tyro, *Cicronis libertus*. Mox & *Perfannius*  
*Philargyrus* bonam augendis illis operam navavit: item  
*Mecænas*, juxta DIONEM (φ.), sive *Aquila*, *Mecænatæ*  
*libertus*, ut refert ISIDORUS (χ). Post eos multas  
 reperit *Anneus Seneca*, ita, ut numerus notarum excre-  
 sceret ad quinqvies millenas. His de *de Notis* PETRUS  
 DIACONUS (ψ.) ita scribit: *Nunc, qv̄is primus Notas*  
*instruxerit, scribamus.* *Vulgares Notas* Ennius primus mille &  
 centum invenit; ad hunc scilicet usum, ut quicquid per contem-  
 tionem presentium diceretur, *Librarii* scriberent complures simul

F

*adstan-*



adstantes, divisim inter se partibus, quot quisque verba, & quo ordine exciperet. Dehinc Tullius Tyro, Ciceronis libertus, notas prapositionum commentus est. Post hunc Philargyus Samius, & Aquila Meccenatis, alias addiderunt: Deinde Lucius Annæus Seneca, contractis omnibus, digesto & aucto numero, opus in quinque millia extendit. Tales etiam sunt figura Chinensium, quas Hieroglyphicos characteres vocat NIC. TRIGAUTIUS. Illis unumquodque vocabulum designant Chinenses: characteres tamen inter se ita componunt, ut LXX. LXXX ve millia non excedant (ω).

(ε) Aristarchi Lib. I. Cap. XLl. p. 147. seqq. (σ) Pharsalia, sive de Bello Civili Caesaris & Pompeji, Lib. III. vers. 223. seq. (τ.) Annal. Lib. XI. Cap. XIV. (υ.) Stromat. Lib. V. f. 555. (Φ.) Lib. LV. f. 973. (χ.) Origin. Lib. I. Cap. XXI. col. 336. (Ψ.) Prologio Notarum ad Conradum Imp. Rom. I. col. 1497. seq. inter Auctores Latine Lingvæ, quos DIONYS. GOTHOFREDUS, J. C. 1595. in unum corpus rededit. (ω.) Vid. MARCI HENNINGI, nova & succineta, vera tamen Historia de Regno China, Lib. III. Cap. XIII. p. 200. & NICOL. TRIGAUTII, de Regno China Cap. V. p. 55. seqq.

§. 37. Atque hæc de Veterum scribendi ratione, tum aperta, tum occulta. Quam varios autem modos addiderint juniores, cognoscere est e TRITHEMIO, LOBKOWITIO, SCHWENTERO, SCHOTTO, & aliis, qui *Artem Steganographicam* excoluerunt.

§. 38. Qui Libros olim scribebant, & ex eorum descriptione victum sibi quærebant, vocabantur *Librarii*, *Librarioli*, *Libelliones*, *Scriba*, *Amanuenses*, βιβλιογράφοι, καλλιγράφοι, ἀρχαιογράφοι. Dicebantur etiam *Antiquarii*, quia antiquis gaudebant. Sed *Librarii* erant, qui & nova, & vetera scribebant: *Antiquarii* vero, qui tantum vetera, unde & nomen sumserunt. ISIDORUS (N.): Tot vul-  
nera



nera Satanas accipit, quot *Antiquarius Domini verba describit* (2.). *Librarii* ante quoque *Bibliopola* dicti sunt: *Scribe* vero a scribendo nomen acceperunt: officium experimentes vocabuli qualitate (3.). Horum ars occupabatur potissimum. (1.) *In Orthographia*, quando recte scribebant, & notationes accentuum, disjunctionum interpunctiones, commata, cola, signa interrogationis, exclamationis, parentheseos, &c. observabant. (2.) *In Calligraphia*, quando eleganter scribebant, & scripturam lituris aut versibus vacillantibus non deformabant, quæ scribentium inscitiam ruditatemque, vel etiam incogitantiam, arguere solebant. Quando enim non intelligebant, quæ scribebant, sæpe monstra verborum, trajectis perturbatisque vel litteris, vel syllabis, vel dictionibus, procludebant. (3.) *In Tachygraphia*, quando celeriter, & per compendia scribebant. Quam artem *Mecanatem*, *Augusti Cæsaris* temporibus, primum invenisse, eamque complures per *Aquilam libertum* docuisse, *DION. NICÆUS* (7.) auctor est. *Ad Notarium velocissime excipientem*, *D. MAGNUS AUSONIUS*, *Burdigalensis*, scripsit *Epigramma CXXXVIII.* quod elegantissimum est. (4.) *In Steganographia*, quando tecte & arcane scribebant (7.). Sed de his alibi.

(N.) *Origin. Lib. VI. Cap. XIV. col. 961.* (2.) *MAGN. AUREL. CASSIODORUS*, *Ravennas*, *Introductor. in divinæ. litterar. seriem*, *Lib. I. Cap. XXX.* (3.) *De Scribe veterum Romanor. vid. ANDR. CHRISTIANI ESCHENBACHII, Dissertat. Academ. V. p. 257. seqq.* (7.) *In Augusto p. 78. Edit. ROBERTI STEPHANI, 1551.* (7.) *Vid. A. GELLIUM, Noctium Atticarum Lib. XVII. Cap. IX.*

§ 39. *Non omne vero, quod olim scribebatur, statim Liber erat; sed id tantum, quod vel compaginari, vel in volumen*



convolvi poterat. *Librariorum* hæc cura erat, qui de libris arborum volumina compaginabant, chartas chartis conglutinabant, unde *Glutinatores* CICERONI (1), & in volumen convolvebant. *Volumen* itaque a volvendo & circumplicando *circum bacillos* teretes, sic dictum est; quem bacillum *umbilicum* nominabant, quod medius esset libro circumvoluto. *Umbilici capita* superne inferneque eminentia appellabant *cornua nigra fronte candida, auro quandoque & argento ornata*; qui bacillus rotundus, seu *cylindrus*, quoniam in extrema voluminis charta, aut membrana, quæ a tergo inscribi non solebat, erat agglutinatus, *finis* illius erat. Unde *ad umbilicum rem perducere*, idem est, quod *finire*. *Posteriore ætate umbilici dicti* sunt *ornamenta librorum, capitati scilicet clavicali, offi, lignei, cornei, aeni*, quibus a figura umbilici humani id nominis inditum. *Frontes autem librorum dicebantur tabella pellibus varie coloratis obducta, & pumice rase*, quibus pagina compactæ utrinque arctabantur & claudebantur. Hæ *tabella*, perennationis causa aliquando *cedrina*, aut *cedri succo tincta* erant. *De frontibus librorum loquitur NASO* (1), *ad Librum suum*, exteriores videlicet ejus partes:

*Nec fragili gemina poliantur pumice frontes:*

*Hirsutus passis ut videre comis.*

Item CATULLUS (1):

*Cui dono Lepidum novum libellum*

*Arida modo pumice expositum.*

MARTIALIS quoque (2) *pumicatam libri frontem dixit* (1). Nam quomodo nunc, ita antiquitus libri pellibus tegebantur, quas levigare ac perpolire pumicibus solebant. Videantur JAC. PONTANI *Progymnasmata Latinitatis* (2).

(1) Ad



- (1.) *Ad Atticum Lib. IV. Epist. IV.* (1.) *Tristium Lib. I. Eleg. I. vers. 11. 12.* (7.) *Epigr. I. (D.) Lib. I. Epigr. LXVII. vers. 10.*  
 (2.) *Conferatur Ejusdem Libri Epigr. CXVIII. vers. 16. (D.) Lib. I. Progymsium. XXXI. p. 75. 76.*

§ 40. *Libri Scriptor vocatur Auctor; quæ vox apud antiquos communis generis fuit, teste SEX. POMPEJO FESTO (S.), & ab augendo derivatur, secundum ISIDORUM (D.). Augere vero creare significat TITO LUCRETIO CARO (2.):*

*Nam quodcumque alias ex se res auget, alitque,  
 Deminui debet, recreari cum recipit res.*

*Pro quo paullo ante dixerat (D.):*

*quod procreat ex se*

*Omnia.*  
*Idem sic scribit (V.):*

*Et ridere potest non ex ridentibus auctus,  
 Et sapere, & doctis rationem reddere dictis.*

*Quod infra (D.) interpretatur oriundus. Sic T. LIVIUS (V.): In colonias atque in agrum bello captum stirpis augenda causa misit. Et AUREL. PRUDENTIUS CLEMENS (P.):*

*Quæ te semideam jactant auctoribus auctam.*

*Scriptor itaque Libri ab Auctore distingvendus non est, cum eadem res utroque vocabulo significari soleat. CICERO (7.): Polybius, bonus, auctor imprimis, scribit. Idem (W.): Quem rerum Romanarum auctorem laudare possum religiosissimum. Et TIT. LIVIUS (W.): Quantum militum in Africam transportatum sit, non parvo numero inter auctores discrepat. Item (N.): Hunc Regem in triumpho ductam, Polybius, haudquaquam spernendus auctor, tradit. Rarius tamen occurrit in hoc significatu vox Auctoris (A.). An vero rectius scribatur*



*Author, Autor, vel auctor, eruditi disputant. Author per  
 et, præter alios, probat ADOLPHUS MEKERCHUS  
 (B.), vultque esse ab αὐθένης, ἄ, ὀ, qui (sua manu se permit,  
 ab αὐτός, & ἔρω, occido, quasi in se auctoritatem habens. Qui  
 per t scribunt, derivant ab inusitato Supino verbi auco.  
 Ut a cautum, cautor; a fautum, fautor: sic deducunt ab  
 autum, autor. Quippe autorem eum proprie dici putant,  
 qui aliquid avert ac cupit fieri, sive id ipse exequatur, sive  
 per alium, ut quid fiat, hortetur. Quia vero veteres  
 semper auctor per et scripserunt, alii vel ab augendo cum  
 PIERIO, FESTO, CHARISIO, vel ab antiquo Augvo,  
 quod ALDUS in Orthographia scripsit, deducunt, quorum  
 sententiam & nos probamus. Quidam tamen discrimen  
 facientes autorem ab αὐθενός, auctorem vero ab augeo dedu-  
 cunt: ut autor sit is, qui inchoet rem, auctor vero au-  
 geat (C.).*

(D.) De verborum Significatione, p. XXX. Conf. GER. JO. VOSSII  
 Aristarchi Liber III. Cap. XV. p. 444. & Cap. XXVII. p. 487. (D.)  
 Origin. Lib. X. Lit. A. col. 1067. (2.) De Rerum natura  
 Lib. V. vers. 323. (D.) Vers. 320. 321. (Y.) Lib. II. vers.  
 984. (D.) Vers. 989. (Y.) Lib. XXVII. Cap. XI. (P.) Con-  
 tra Symmachum, Lib. I. vers. 163. (7.) De Officiis Lib. III.  
 Cap. XXXII. (W.) Lib. de claris Oratoribus, qui dicitur Bru-  
 tus, Cap. XI. (W.) Lib. XXIX. Cap. XXV. (N.) Lib. XXX.  
 Cap. XLV. (A.) Vid. CASP. SCIOPPII Infamia Famiani,  
 p. 13. 14. & conf. PHILIPPI PAREI, Lexicon Criticum, p. 126.  
 127. (B.) Lib. de Pronunciatione Lingue Græcæ, p. 40. (C.)  
 Vid. GER. JO. VOSSII Lexic. Etymologic. Lingue Lat. fol. 53. 54.

S. 41. An primis temporibus, priusquam diluvialis irruptio  
 universa obduceret, Libri extiterint, & quis primus eorum Scri-  
 ptor fuerit, scite perquam ac enucleate disputant Philologi.  
 Post alios solerter & pensiculate omnia hic excussit JO-  
 ACH.



**ACH. JO. MADERUS**, in *Epistola ad Sereniss. Brunsvic. & Luneb. DUCEM, RUDOLPHUM AUGUSTUM*, de *Scriptis & Bibliotheca Antediluvianis*; quam *Venerabilis Abbas Maria-wallensis, & Incomparabilis Academiae Juliae Theologus, JO. ANDREAS SCHMIDIUS*, una cum aliis *Virorum Clarissimorum de Bibliotheca atque Archivis Libellis & Commentationibus*, A. hujus seculi II. denuo edidit. Probat vero in sua *Epistola MADERUS*, quod *Adamus* non solum *litterarum inventor*, sed & *primus Librorum Scriptor* fuerit: & de *scriptis ejus*, itemque *Setbi*, ac *Enochi*, non vulgarium auctorum testimonia profert. **THOMAS BANGIUS (D.)** existimat: *Adamum*, cum animadverteret, quod *admissio peccati incomparabiles animi, ingenii, memoria, sagacitatis & sapientiae dotes amisisset*, atque in *tenebricosum ignorantia, ruditate ac oblivione ergastulum* conjectus fuisset, *relictis sibi tantum parietinis quibusdam naturalis cognitionis; in id magno molimine incubuisse*, quomodo *residuas Physici luminis scintillas jugi mentis agitatione, laboriosaque sensuum ope & scrutinio exuscitaret*: immo *necessitate monstrante viam, primam artibus & doctrinis facem praeluceret, prima characterum rudimenta, juvanda memoria causa, praeformaret, quosdamque litterarum fetus, velut a matre etiamnum rubentes, superstiti soboli, ac posteritati obstetricanti lambendos daret*. Quam sententiam **POSTELLI, SACCHINI, ALSTEDII, JAC. BOULDUC**, *Parisini*, aliorumque testimoniis probat; tandemque *Adami liberis & posteris ante diluvium viventibus cognita litteratura gloriam tribuit*. Sed **JOH. HEINR. URSINUS (E.)** contendit: *Adamum nec ante lapsum litterarum notitiam habuisse: nec post lapsum eas reperisse*. Quapropter curatius paullo examinat: quod *nam fuerit Adamica scientia objectum? qua forma? qua origo? & quodnam subjectum invasionis?* *Luculenta & praecleara alia,*



alia, quæ illustrando pariter & roborando huic argumento non parum conferunt. legi possunt apud ATHANASIVM KIRCHERUM (E.), HERMANN. CONRINGIVM (G.), JO. HENRIC. BOECLERUM (H.), DAN. GEORG. MORHOVIUM (I.), JOH. LOMEIERUM (K.), & GOTHOFREDUM VOCKERODT (L.).

(D.) *Exercitationum Philologico-Philosophicarum I. de Pliniana litterarum eternitate, &c. Quest. III. IV. p. 6. 11. seqq.* (E.) *In Exercitationibus Familiaribus de ZOROASTRE BACTRIANO, HERMETE TRISMEGISTO, & SANCHONIATONE PHOENICIO, p. 5. 6. 179. 191. & alibi* (F.) *Pamphili Obelisci Lib. I. Cap. I. f. 3. seqq. Edit. Rom. MDCL.* (G.) *Supplemento II. Dissertation. de antiquitatibus Academicis, p. 204. seqq.* (H.) *Exercit. in FL. JOSEPHI Antiquitates Judaicas, p. 514.* (I.) *Polyhistoris Litteraris Lib. I. Cap. VI. p. 46. seqq.* (K.) *De Bibliothecis Lib. Singulari, Cap. II. p. 7. seqq.* (L.) *Commentat. de Eruditorum Societatibus & varia re litteraria p. 135. seqq.* Qui de hoc argumento tractarunt, plures annotantur a JOH. FREINHEMIO, ad *Q. Curtii Lib. IV. Cap. IV. n. 19.*

§. 42. *Libros tamen ante diluvium fuisse, ex Epistola Juda, vers. 14. 15. Henochi Librum citantis, quidam probatum eunt. Hos autem Libros etiamnum extare, nullo modo verisimile est: quia tota terra per universale illud diluvium devastata est. Noachum vero libros illos secum in arcam sumfisse, doceri non potest; cum omnibus, quæ in arca fuerunt, accurate enumeratis, de illis libris altum sit silentium. Unde & S. HIERONYMUS in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum (M.) docet: Epistolam Juda propter testimonium ex Apocrypho Henochi Libro desumptum, olim a plerisque Ecclesiasticis Patribus fuisse rejectam. Nimirum veteres non crediderunt, librum istum esse Henochi, quem Judas citavit (N.).*

(M.) Cap



(M.) *Cap. IV. p. 27. Editionis, quam Max. Reverendo ERNESTO SALOMONI CYPRIANO, annotationibus illustratam, eruditus Orbis acceptam refert.* (N.) Vid. SIXTUS SENENSIS, *Bibliotheca Sancta Lib. II. f. 69.* LEONHARDUS COQVEUS, *Aurelianens. Commentar. in AUGUSTINI Lib. XV. de Civitate DEL. Cap. XXIII. p. 241. seq.* D. THOM. BANGIUS, *Exercit. supra cit. Quest. V. p. 16. seqq.* JOH. HENR. URSINUS, *l. c. p. 208. seqq.* & JOH. LOMEIERUS, *de Bibliotheca, Cap. II. p. 11. seqq.*

§. 43. *Post diluvium, in mundo instaurato, Noachum cum filiis, restitutarum artium auctores fuisse, artisque scribendi rudimenta excoluisse, simile vero videtur (O.). Primi tamen Libri Scriptorem fuisse Mosem, etiam Gentiles Scriptores, citra invidiam, confessi sunt: & antiquissimi Ecclesie Doctores constanter asseruerunt (P.). Tribuunt quidem Judæi Abrahamo Librum, qui Hebraice ספר יצירה Liber Creationis inscribitur, & fundamenta Cabalæ obscura brevitate tradit; quem ante Mosis tempora exaratum volunt (Q.): Sed voſeica hujus Libri multis se in locis prodit. Extat etiam alius Liber Apocryphus, nempe Testamentum duodecim Patriarcharum, Filiorum Jacob, in quo multa ex Henochi Libro repetuntur (R): Verum nec hunc genuinum credere volunt eruditi; cum parum testatæ veritatis contineat. De Libro Paſti, Exod. XXIV. 7. Bellorum Domini, Num. XXI. 14. & aliis, quos ad Ante-Mosaica tempora quidam referunt, videantur Theologi (S.).*

(O.) Vid. JO. HENR. BOECLERUS, *Exercitat. in FL. JOSEPHI Antiquitat. Judaic. p. 514.* & GOTHOFREDUS VOCKERODT, *Dissert. de notis. divinar. Scripturar. ante CHRISTUM natum in gentes vulgata, Cap. II. §. I. p. 280.* (P.) JOH. HENR. URSINUS, *Exercitat. de Zoroastre, &c. p. 2. & passim.* Conf. CHRISTOPH. ARNOLDI, *Spicilegium post messem, p. 7. seqq.* (Q.) JOH. BUXTORFFIUS, *Bibliotheca Rabbimica p. 353.* DAN. GEORG. MORHOFFIUS, *Polybist. l. c. p. 48.* & JOH. LOMEIERUS, *loc. alleg.*



p. 15. *seqq.* (R.) Testamentum hoc, per ROBERTUM MEGACEPHALON, *Lincolinens. Episcop.* e Græco in Latinum versum, legitur inter *Orthodoxographa Theologia SS. ac sincerioris fidei Doctorem, Basilea 1555. edita, fol. 1440. seqq.* Item, cum *Elogiis Patriarcharum, & JESU CHRISTI, DEI Homini, EMANUELIS THESAURI, & ALOYSII JUGLARIS, p. 159. seqq.* Conf. SIXTUS SENENSIS, *Biblioth. S. Lib. II. fol. 91.* (S.) E multis B. ABRAH. CALOVIUS, *Systemat. Tom. I. p. 712. seqq.* B. JOH. ADAMUS SCHERZERUS, *Systemat. Loc. I. §. XX. p. 19.* Item, *Anu-Bellarmin. Disp. II. Thes. XI. p. 150. seqq.* Conf. MORHOF. & LOMEIERUS, *locis supra citatis.*

§. 44. Quamvis vero solis Mosis voluminibus antiquitas post diluuium debeat: illam tamen aliæ quoque gentes affectarunt. PLINIUS (T.) auctor est: *Mosem multis millibus annorum post Zoroastrem (quem Persæ & Arabes Zaratust, & Zerduscht (U.) vocant,) vixisse: Zoroastrem vero sex millibus annorum ante Platonis mortem fuisse, & vicies centum millia versuum condidisse: cum tamen vel Cyro ætate suppar fuerit (X.), vel Darii Hystaspis tempore floruerit (Y.), vel sub Cambyse vixerit Zoroastres (Z.): qui Reges omnes aliquot seculis post Mosis tempora regnarunt.* LAERT. DIOGENES (a.) tradit: *Anaxagoram primum fuisse, qui Librum Commentariorum ediderit.* A. GELLIUS vero scribit (b.): *Pisistratum Tyrannum omnium primum libros Athenis publice legendos prauis.* Sed quis non videt, perperam Græcos hanc sibi gloriam vendicare? Qui, ut FL. JOSEPHUS, (c.) perspicue demonstrat, *recentissimi sunt.* Nullum enim gentis suæ scriptorem nominare possunt, qui non quingentis & amplius annis recentior sit bello Trojano. Atqui Mosem seculis aliquot antiquiorem esse, etiam gentium Scriptores agnoverunt: eosque inter APION ALEXANDRINUS (d.): secundum quem *Moses Inachi temporibus vixit.*



vixit. APIONEM hac parte sequuntur e Patribus JUSTINUS, ATHENAGORAS, THEOPHILUS ANTIOCHENUS, CLEMENS ALEXANDRINUS, & prope modum omnes, qui ante EUSEBIUM fuerunt. Itaque inter obitum Moſis, & Trojæ excidium, intervallum erit annorum DCLXXV. Nec Moſes tantummodo, ſed etiam Chaldei, Egyptii, Phœnices, & alii populi, Græcos longe præcedunt (e.). Mittimus alios populos, quorum Scriptores omnes multo Moſe juniores ſunt (f.).

(T.) *Natural. Hiſtor. Lib. XXX. Cap. I.* (U.) Vid. THOMÆ HYDE, *Hiſtoria Religionis veterum Perſarum, eorumque Magorum*, in Compendio exhibitæ a Nobiliſſ. WILH. ERNEſTO TENZELIO, *Curiſe Bibliothecæ, quam vocat, Reſpoſitorii & loculamento IX.* p. 837. 874. & JOH. HBNR. URSINI *Exercitat. alleg. r. e. 22.*

(X.) ARNOBIUS *Diſputationum adverſus gentes Lib. I. fol. 19.* Edition. GEBHARDI ELMENHORSTII. (Y.) TH. HYDE, apud TENZELIUM, pag. 875. URSINUS, l. c. pag. 32. 33.

(Z.) Ex APULEJO hoc conſtat, qui, *Sunt*, inquit, *qui Pythagoram ajant eo temporis inter captivos Cambyſæ Regis, Ægyptum cum adveheretur, doctores habuiſſe Perſarum Magos, ac præcipue Zoroaſtrem, omnis divini arcanum antiſtitem. Floridorum Lib. II. p. 231.* Edition. PETRI COLVII, quæ prodiit Lugduni Batavorum, 1588.

(a.) *Lib. II. in Anaxagora, f. 35.* (b.) *Noct. Atticar. Lib. VI. Cap. XVII.* (c.) *Contra Apionem, Lib. I. p. 449.* (d.) *Adverſus Judæos Lib. IV. paſſim.* (e.) FL. JOSEPHUS *contra Apionem, loca alleg. Conf. GERARD. JO. VOSSIUS, de Hiſtoricis Græcis Lib. I. Cap. I. pag. 3. ſeqq.*

(f.) Videatur DON JOSEPHI ANTONII GONZALEZ DE SALAS, *Equitis Hiſpani, Manuiſſa ad Diſſertationem de duplici viventium terra, Sect. IV. p. 156. ſeqq.*

§. 45. *Veterum Libri omnes erant manuſcripti; non quidem foliis diſſectis, & in quaterniones, quos dicimus, conſertis: ſed in altera tantum paginarum facie, perpetuo ad extremum uſque folium ductu. Fecerunt id*



veteres, vel propter membranæ chartæq; vitium, quando nimia ejus tenuitas non sufficebat calamis: vel, ut e regione, quæ opus forent, adjicere liceret. Et hoc modo quæ scribebantur, vocabantur *syngrapha*. Cum vero, quod fiebat contra consuetudinem, tam *in adversa*, quam *aversa charta pagina* scribebatur, *Opisthographa* appellabantur scripta, ab ὀπισθεν, *post*, sive *retro*, & γραφή, *Scriptura*, quasi dicas, *intergo scripta* (g). C. PLIN. CÆCIL. SECUNDUS (h): *Electorum commentarios centum sexaginta mihi reliquit* (avunculus meus), *Opisthographos quidem, & minutissimis scriptos*. Quam scribendi rationem Plinius major, necessitate quadam adductus, secutus videtur, ut nimis crescentem alioqui numerum voluminum Opisthographis contraheret. Tandem tamen tam *Syngrapha*, quam *Opisthographa*, veterum scripta fuerunt.

(g) Vid. ALEXANDER AB ALEXANDRO, *Genial. diar. Lib. II. Cap. XXX. f. 104.* & GUIDO PANCIROLLUS, *Rerum Memorabilium, sive Deperditarum Tit. XLII. p. 139. seqq.* (h.) *Lib. III. Epist. V. ad Macron.*

§. 46. Quod veterum quisque sua manu scripserat, *Αὐτόγραφοι*; transcriptum vero inde *Ἀπόγραφοι* vocabatur. *Αὐτογράφοις* quantum tribuerint veteres, vel solius *Ptolemai Philadelphi* exemplum nos docere potest; qui Atheniensibus annonæ penuria pressis, non prius alimenta concessit, quam sibi *Tragediarum Sophoclis, Euripidis, Æschylæ autographorum* potestatem fecissent. Pro quibus tamen, præter vestigalium immunitatem, quindecim talenta iis oppignoravit, & eadem postea, cum exscriptis exemplaribus, dono eis dedit (i).

(i.) CL. GALENUS in *Lib. III. Hippocratis de morbis vulgaribus Com. II. Operum Classe III. f. 267.*

§. 47. Libri



§. 47. Libri olim longe majori sumtu parabantur, quam hodie. Unius enim Scriptoris libri pluris sæpe venire solebant, quam hodie tota prope Bibliotheca. De Platone Philosopho legimus, quod, licet tunc admodum pecunia familiari fuerit, tres tamen Philolai Pythagorici libros decem millibus denarium, h. e. plus mille Philippeis, s. centum minis, mercatus sit (k.). De Aristotele vero traditur, eum libros pauculos Speusippi Philosophi, post mortem ejus, emisse talentis Atticis tribus: quæ summa fuit Romani HS. duo & LXX. millia; & prope tria aureorum millia conficere putatur (l.). Et M. VAL. MARTIALIS (m.) scribit, primum librum suum quinq. denariis vendi solitum: unde opus integrum nonaginta ipsis denariis constiterit: quæ summa fere minam conficit, sive coronatos decem. Etiam aliis temporibus non defuerunt, qui nobilium ingeniorum opera spectabili vi pecuniæ sibi compararunt. Diu enim pretium rei librariæ prægrave fuit, etiam eorum exemplarium, quorum tanta non erat inopia. Quanti Tullii Epistola ad Familiares emi olim potuerint, videre est ex hac FRANC. PHILELFI ad Petrum Perleoneum Epistola (n.): Familiares Ciceronis Epistolas, quas petebas, venales invenimus. Eas si habere cupis, ducatos decem mittas oportet. Id enim pretii omnino se velle dicit librarius Melchior. Nec alius hujusmodi codex apud alium quengquam venalis reperitur. Codex vero hic Epistolarum & pulcher est, & novus, & satis emendate scriptus. Rem paucis tenes. Tu quid fieri velis, significato litteris. Vale. Scripta est hæc Epistola VI. Idus Septembr. MCCCCII. quo tempore ratio imprimendorum librorum jam erat inventa. Sic Peirescius, Senator Aquisextiensis, Constantini Porphyrogeneta Volumen Excerptorum ex Polybio, Diodoro, Damasceno, aliisque (quod exemplar Imperator sibi habuerat,) pro ducentis libris Turonicis, ex Cypro obtinuit (o.).



(k.) Id ei pretium donasse quidam scripserunt amicum ejus, Dionem Syracusanum. A. GELLIUS, *Noſt. Atticar. Lib. III. Cap. XVII.* LAERT. DIOGENES, *Lib. III. in Platone. f. 72.* (l.) A. GELLIUS, *l. c.* LAERT. DIOGENES, *Lib. IV. in Speuſippo. f. 97.* (m.) *Lib. I. Ep. CXVIII. verſ. 17.* (n.) *Lib. X. Ep. XXV.* (o.) PETR. GASSENDUS, *in Vna Peireſcu, Lib. IV. p. 311.*

§. 48. *Libri Veterum plurimi fruſtra a nobis requiruntur.* Iverunt enim, unde negant redire quenquam. Licet enim ad manus hominum etiam poſt annos ducentos olim pervenerint; quod ex PLINIO (p.) colligere poſſumus, qui ait: *Ita ſunt longinqva monumenta Tiberi Caji; Gracchorum manus, qua apud Pomponium Secundum vatem, civemque clariffimum, vidi annos fere poſt CC: tamen hodie non auſimus dicere, ejus notæ libros multos reperiri, poſt tot ſecula, poſt tot bellorum motus, poſt tot urbium Bibliothecarumque incendia & ruinas. Athenienſium & Alexandrinam Bibliothecas, quotuſqueque eſt, qui ignorat? Priorem illam ſtruxerat Piſiſtratus, Princeps Athenienſium; deſtruxit vero & abſtulit Xerxes, quod poſt alios A. GELLIUS (q.) teſtatur. Alexandrina illa, Regum Ptolemeorum, & pra reliquis Philadelphi, ſecundum L. ANN. SENECA (r.), quadringenta millia voluminum habuit: ſecundum FL. JOSEPHUM (s.), quingenta: ſecundum A. GELLIUM (t.), & AMMIANUM MARCELLINUM (u.), ſeptingenta. Illa Bibliotheca, cum vix annos ducentos viginti quatuor fuiſſet, finem naſta eſt funeſto incendio, cum bello priore Alexandrino direpta civitas eſt; & Theſaurus ille Regius conflagravit (x.). Sed tot librorum, qui perierunt, jacturam æquo animo ferre debemus. In omni enim diſciplina præſtantiffimos quosque ſuperſtites habemus. Quid enim*



enim est excellentius in Philosophia, *Platone & Aristotele?* in Medicina, *Hippocrate & Galeno?* in Eloquentia, *Demosthene & Cicrone?* in Poetica, *Homero & Vergilio?* Quam plurimos etiam libros non valde probos, quibus facile careremus, servatos videmus, amissis tot bonis. Magnæ igitur a nobis omnibus habendæ sunt bonis illis viris gratiæ, penes quos solos tamdiu litterarum imperium fuit, quod otium suum in libris describendis consumentes, tot alioqui perituros nobis quasi per manus tradiderunt: quorum beneficio sumus humaniores, & litteris politioribus exculi. Qua in re multum olim operæ studiiqve posuerunt *Longobardi*, qui veterum libros quam emendatissime descripserunt. Quum enim pacis & otii alumnae sint disciplinae, & artes omnes, quæ litteris continentur: postquam illi abhinc annos MC. in Italiam venissent, imperiumqve constituissent, quod diu, usque ad *Carolus M.*, perduravit, qui eos ex Italia expulit, victo ipsorum Rege *Desiderio*, qui Ticini commorari solitus erat: rebus compositis, quum summum in Italia esset otium, excolere ingenium artibus & disciplinis cœperunt (y.). Itaque præclarissimi quoque libri ab illis descripti fuerunt. Litteræ multum dissimiles nostris, sed quas facile quis internoscit. Mirum dictu, illis esse libris nihil emendatius, nihil purius. Est & aliud librorum genus manuscriptorum, qui ab *Italis* videntur descripti fuisse. Sæpe appositum legitur nomen *JULII CELSI*, sub finem librorum; vel, quod librarius is esset, vel dominus librorum. Hi omnes in membranis descripti sunt, & facile dignoscuntur a posterioris ætatis libris, quos *Monachi* descripserunt. Illi enim lineas superpositas nullas habent, & accurate omnia descripta sunt (z.).

(p.) *Naimr.*




(p.) *Natur. Histor. Lib. XIII. Cap. XII.* (q.) *Notit. Asiicar. Lib. VI. Cap. XVII.* (r.) *De Tranquillitate animi Cap. IX.* (s.) *Antiquitat. Judaicar. Lib. XII. Cap. II.* (t.) *Loc. alleg.* (u.) *Rerum gestarum Lib. XXII. p. 424.* (x.) De splendidis hisce, aliisque Bibliothecis consulatur JUSTI LIPSI *Synagma singularæ; nec non HERM. CONRINGII Epistola de Bibliotheca Augusta: ubi de simili librorum combustione, qvælis Alexandrina fuit.* (y.) DIONYSIUS PETAVIUS, *Rationarii Temporum Lib. VII. Cap. X. p. 441. seqq.* (z.) Vid. FRANC. ROBORTELLI, *Utinensis, de Arte sive ratione corrigendi antiquorum libros Disputatio*, apud GASPAREM SCIOPIUM, *de Arte Critica, p. 100. seq.* & conf. *Celeberrimi BURCARDI GOTTHELFFII STRUVII, Acta Literaria ex MSis eruta atque collecta, §. XXI. p. 25. seqq.*

§. 49. *Libri veterum, æque ac nostri, utilitatem publicam spectarunt.* Omnes enim scientias, quæ nobis tantæ sunt oblectationi, atque adjumento, continuerunt: præceptis vitam instruxerunt: Lectores ad humanitatem atque virtutes finxerunt: & rerum memoriam servaverunt. Quod ex superstitibus eorum Scriptis, PLINIO, LAERTIO DIOGENE, ATHENÆO, aliisque patet, qui Scriptores temporum injuria deperditos, multis in locis laudant.

§. 50. Et hæc hætenus de *Libris Veterum e nostris Libris* selegimus. Multa quidem fuissent, quæ adjici, vel pertractari plenius potuissent. Sed nobis propositum non fuit, omnia congerere, quæ materiæ hujus vastitas continet. Forte alio tempore, si DEUS voluerit, in hoc instituto pergemus. Hac vice plura addere chartæ angustia prohibet.

SOLI DEO GLORIA.





Qk. 528, 8

B. m. II 494



X 2255760

29.

CHRISTO SUCCURRENTI!  
DE  
LIBRIS VETERUM

SCHEDIASMA,

IN  
REGIA POMERANORUM  
UNIVERSITATE  
PROPONUNT PUBLICE

PRÆSES

CHRISTIANUS *Saalbach* /  
POETIC. AC ORATOR. PROFESSOR ORDIN.  
ACADEMIÆ BIBLIOTHECARIUS, FACULTATIS PHI-  
LOSOPHICÆ SENIOR, ET H. T. DECANUS,

ET

RESPONDENS

GEORGIUS *Bagencop* / STRALÆSUND.

PHILOSOPH. ET S. THEOLOG. STUDIOSUS,  
III. ID. NOVEMBR. A. E. C. MDCCCV.

H. L. Q. C.

GRYPHISWALDIÆ,

TYPIS DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,

REG. ACADEM. TYPOGR.

